JOHANNIS BAPTISTÆ BARTHOLI ... APOLOGIA PRO HONORIO 1. ROMANO PONTIFICE

Giovanni Battista Bartoli

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9 · 5 . 249

Digitized by Google

O. 5. 240

Digitized by Google

BI
35.249

APOLOGIA
PRO
HONORIO I.
ROMANO PONTIFICE.

Digitized by Google

Digitized by Google

II

JOHANNIS BAPTISTÆ
BARTHOLI

OLIM

IN UNIVERSITATE PATAVINA

SACRORUM CANONUM

PUBLICI PROFESSORIS PRIMARII

NUNC VERO

EPISCOPI FELTRIENSIS

COMITIS &c.

APOLOGIA
PRO HONORIO I.
ROMANO PONTIFICE.

AUSUGII, MDCCL.

SUPERIORUM PERMISSU.

Proſtant FELTRIÆ

Apud Eduardum Foliolum.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI
BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

JOHANNES BAPTISTA BARTHOLUS

EPISCOPUS FELTRIENSIS

Felicitatem.

AUdire viſus ſum, ***BEATISSIME PATER***, *qui me confidentem nimis eſſe dictitent: quod in Juris Canonici Inſtitutionibus, quas nuper edidi, ubi de Sexta Œcumeni-*

Digitized by Google

menica Synodo verba facio, HONORIUM I. *Pontificem Summum defendere*, *atque ita innoxium in Monothelitarum cauſſa reddere pollicitus ſum*; *ut*, *quod numquam adhuc a quoquam factum eſt*, *neque fieri poſſe rentur*, *culpam omnem*, & *culpæ ſuſpicionem quamvis ab eo prorſus amovere ad me receperim*. *Itaque*, *quam pro* HONORIO *Apologiam dudum conſcripſeram*, *autumnalibus hiſce diebus ad incudem revocavi*; *eamque accuratius*, *atque diligentius expenſam ſtatim in lucem proferre in animum induxi*: *ut fidem meam*, *quantum poſſem*, *liberarem*. *Quamvis enim Apologiam hanc in Opus quoddam*, *in quo Divinam Traditionem de Romani Pontificis infallibilitate*, *ejuſque ſuprema in Eccleſiam poteſtate*, *ſuis cujuſque ſeculi Eccleſiaſticis monumentis*, *temporis ordine digeſtis*, *expono*, *atque propugno*, *inſerere decreviſſem*: *arbitratus ſum tamen*, *non abs re fore*, *ſi ſeorſum interim illa prodiret*. *Nam nemo non videt*, *Romani cujuſque Pontificis*, *ſive Apoſtolicæ Sedis cauſſam agi*, *cum* HONORII *cauſſa agitur*: *ex qua multi argumentum omnium maximum ad* SANCTI PETRI *Primatus*

jura

Digitized by Google

jura labefactanda, atque adeo ad Traditionem Divinam impugnandam ducere poſſe ſe exiſtimarunt. Quamobrem dum vindicatur HONORIUS, *corruit omnino ſimul argumentum illud, quod palmarium putant: atque ita fiet, nemini ut jam in poſterum illo uti liceat, neu quiſquam nobis ab* HONORII *exemplo, quod illi facere conſuevere, Romanum Pontificem quemlibet in Fidei negotio falli aut fallere, errare vel decipi poſſe objicere audeat. Reliquum eſt,* PATER BEATISSIME, *ut, qua benignitate ſoles, meos hoſce qualeſcumque conatus lubenter accipias: in quibus quamquam* TIBI *novi nihil accidet; quippe* QUI *pro* TUA *ſingulari ſapientia, atque Theologiæ, Sacrorum Canonum, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Criticeſ, atque Chronologiæ, aliarumque diſciplinarum ſcientia, & Sanctorum Patrum, atque Eccleſiaſticorum Scriptorum uſu (quod quiſque ex ingentibus a* TE *Voluminibus editis per ſe noſcere poteſt) ſingulis bujuſce Apologiæ Capitibus, ſinguliſque ejus argumentis jam prævertes: in iis inſpicies tamen meum in Sedem Apoſtolicam ſtudium, quo, pro ingenii mei modo, ſententias*

Digitized by Google

tias illas connitor evellere, quae quidam ſcientes, vel imprudentes fortaſſe inſerere aggreſſi ſunt: quae quidem & a veritate quam longiſſimè abhorrent; & ad Romani Pontificis SANCTI PETRI *Succeſſoris dignitatem atque auctoritatem imminuendam adinventae fuiſſe videntur.*

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

DEfendendi HONORII I. Pontificis Summi provinciam jamdudum Scriptores neque pauci, neque ignobiles ſibi quiſque ſumpſere; ſed quas illi inierunt vias, vel lubricæ, aut impeditæ, atque perdifficiles viſæ ſunt, vel HONORIUM non ita omni culpa liberare, ut non ei aliqua vel hæreſis, vel conniventiæ, vel indiligentiæ ſaltem labes maneret. Hinc vir quidam eruditiſſimus, qui Cleri Gallicani Declarationis Defenſionem aliquot ante annis elucubravit, quique Jacobi Benigni Boſſuet Epiſcopi Meldenſis nomine apparuit lib. 12. cap. 25. & ſeq. poſtquam HONORII defenſiones omnes tamquam minus idoneas deſpexit, rejecitque: tum illum nobis de Fide Catholica male meritum exhibuit; atque deinceps quod ille HONORIO contigiſſe arbitratus eſt, quibuſque aliis Romanis Pontificibus accidere poſſe contendit. Quod cum ego mecum cogitarem, novam quamdam, & veram, ni fallor, viam, quam nemo quiſquam adhuc ingreſſus eſt, inveni, qua HONORIUS I. ab hæreſis ſuſpicione, & a conniventiæ etiam, vel negligentiæ culpa omni exſol-

XI 141

Digitized by Google

vatur; quinimmo de Catholica Fide optime meritus, & in Monothelitarum hæreſi comprimenda officio ſuo functus eſſe videatur. Id vero hac Apologia me effecturum ſpero: in qua nihil quicquam eorum, quæ vir ille eruditiſſimus, quem, quiſquis ille fuerit, *Defenſorem* appellabo, contra afferre conatus eſt, me diſſimulaſſe; &, quæ ego ad HONORII I. defenſionem attuli, certis ſinceriſque monumentis, atque ſynchronis teſtibus confirmaſſe, quiſque perſpiciet.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

Quibus Apologia pro HONORIO I. continetur.

CAPUT I.

DE hæreſis Monothelitarum origine, ejuſque primis parentibus.

CAPUT II.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCXXXIII. uſque ad annum DCXXXIX.

CAPUT III.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCXXXIX. uſque ad annum DCXLVIII.

CAPUT IV.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCXLVIII. uſque ad annum DCLVII.

CAPUT V.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCLVII. uſque ad annum DCLXXII.

CAPUT VI.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCLXXII. uſque ad annum DCLXXXI. quo Sexta Synodus Œcumenica fuit abſoluta.

CAPUT VII.

Concilii Œcumenici Conſtantinopolitani III. ſive Sextæ Synodi epitome exhibetur.

CAPUT VIII.

Reliquorum Actorum Sextæ Synodi epitome exponitur.

CAPUT IX.

De Honorii I. accuſatione, ejuſque quatuor defenſionibus hactenus comparatis.

CAPUT X.

Nova quædam via Honorii I. defendendi proponitur, qua ab omni & hæreſis ſuſpicione, & negligentiæ culpa liberatur.

CAPUT XI.

Epiſtolæ Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Honorium I. Pontificem Summum in Monothelitarum cauſſa datæ exemplum exhibetur, quod ſcriptum exſtat in Actione duodecima Sextæ Synodi.

CAPUT XII.

Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Honorium I. Pontificem Summum epiſtolam, quam exhibuimus, a Monothelitis ante Sextam Synodum vitiatam fuiſſe demonſtratur; ut Honorii reſcripto ab iiſdem corrupto reſponderet.

CAPUT XIII.

Epiſtolæ Honorii I. Pontificis Summi ad Sergium Conſtantino-

Digitized by Google

tinopolitanum Epiſcopum exhibetur exemplum : quod ſcriptum exſtat in Actione duodecima Sextæ Synodi.

CAPUT XIV.

Epiſtolæ alterius Honorii I. Pontificis Summi ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum exhibetur exemplum ; quod ſcriptum exſtat in Actione decima tertia Sextæ Synodi.

CAPUT XV.

Argumenta ex ipſis Monothelitis ducta, quibus Honorii I. epiſtolam alteram confictam, alteram vero interpolatam fuiſſe cognoſcimus.

CAPUT XVI.

Ex Ecthesi, atque ex Typo argumenta multa eliciuntur, quibus litterarum Honorio I. adſcriptarum ſuppoſitio detegitur.

CAPUT XVII.

Ex Johanne IV. & Sancto Maximo Martyre, qui Honorii I. defenſionem ſuſceperunt, manifeſte intelligimus, Honorii litteras adulteratas fuiſſe.

CAPUT XVIII.

Ex Pontificibus Summis, qui Monothelitarum hæreſim & ſcripta damnarunt, Honorii I. litteras vitiatas fuiſſe liquido apparet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Quo tempore, & a quibus Honorii I. litteræ interpolatæ fuerint, inquiritur.

CAPUT XX.

Quid Honorius I. ad Sergium ſcripſerit, quidve alii Honorio affinxerint, ex ipſis litterarum locis ob oculos ponitur.

CAPUT XXI.

Honorius I. cum unam voluntatem in Chriſto eſſe ſcripſit, humanam dumtaxat Chriſti naturam reſpexit, a qua carnis voluntatem corruptam excluſit.

CAPUT XXII.

Nulla negligentiæ culpa in Honorium conferri poteſt, quod Monothelitarum hæreſim non reſtinxerit; cum ea præſtiterit, quæ potuit, ac debuit ad hæreſim illam comprimendam.

CAPUT XXIII.

Epiſcopi in Sexta Synodo ita officio ſuo in Honorii I. cauſſa expendenda defuerunt; ut, ne anathema Honorio dicendi occaſionem ſibi oblatam non amitterent, veriti fuiſſe viſi fuerint.

CAPUT XXIV.

Sextæ Synodi auctoritas non imminuitur, ſi Epiſcopos Honorium anathemati injuria ſubjeciſſe dixerimus: cum

aliud

Digitized by Google

aliud Synodi, aliud vero Epiſcoporum in Synodo judicium ſit; & Honorius non Synodi judicio, ſed Epiſcoporum conſpiratione damnatus fuerit.

CAPUT XXV.

Etſi Sanctus Leo II. Pontifex Summus Sextam Synodum ſuſceperit, judicium tamen de Honorio ab Epiſcopis in ea habitum numquam probavit.

CAPUT XXVI.

Sancti Leonis II. epiſtolam ad Conſtantinum Imperatorem, qua Sextam Synodum confirmavit, interpolatam fuiſſe demonſtratur.

CAPUT XXVII.

Ejuſdem Sancti Leonis II. epiſtolas ad Ervigium Regem, & ad Hiſpaniæ Epiſcopos interpolatas fuiſſe demonſtratur.

CAPUT XXVIII.

Nemo ex Pontificibus Summis, qui Sancto Leoni II. ſucceſſerunt, judicium de Honorio ab Epiſcopis in Sexta Synodo habitum probavit, aut Honorii damnationem ſuſcepit.

CAPUT XXIX.

Quod Gallicanæ Declarationis Defenſor ſcripſit, Synodos omnes Honorii damnationem ſuſcepiſſe, falſum eſſe oſtenditur: & quemadmodum intelligenda ſint, quæ de Honorio habentur in Septima, atque Octava Synodo.

CA-

Digitized by Google

C A P U T   X X X.

Ex Honorii I. cauſſa non hoc conſequitur, creditum fuiſſe, Romanos Pontifices, cum de Fide aliquid definiunt, errare poſſe. Argumentum, quod Gallicanæ Declarationis Defenſor *invictum* appellat, infirmatur; & Apologia pro Honorio concluditur.

APOLO-

Digitized by Google

2.5.249

APOLOGIÆ PRO HONORIO I. ROMANO PONTIFICE

CAPUT I.

De hæreſis Monothelitarum origine, ejuſque primis parentibus.

I. ANtequam Honorii I. Pontificis Summi defenſionem aggredior, Monotheliticæ hæreſis hiſtoriam, a qua Honorii cauſſa maxime pendere videtur, paucis texere placuit; quo quiſque facilius ea, quæ pro Honorio dicturi ſumus, intelligere poſſit. Nec quiſquam ſane argumentorum, quæ nos afferemus, vim umquam aſſequetur, qui non tempus, quo quæque acta ſit res, animadverterit: ac proinde nobis ſæpius neceſſe erit lectores ad Hiſtoriam hanc rejicere, ut Apologiæ ſententiam recte percipiant. Monotheliſmi itaque originem primum exponemus, ejus deinde hiſtoriam in annos digeſtam exhibebimus.

Monophyſitarum in Concilio Calchedonenſi damnata hæreſi, eorum ſcilicet, qui ab unitate naturæ, quam in Chriſto eſſe dicebant, ita ſunt appellati; Monothelitarum, qui ab unitate voluntatis, quam Chriſto tribuebant, nomen ſumpſerunt, hæreſis erupit. Nam quamvis

Digitized by Google

vis Apollinaris, Eutyches, & Monophyſitæ omnes unam in Chriſto voluntatem & operationem eſſe ſenſerint: hoc tamen Monothelitæ a Monophyſitis diſtabant; quod iſti unitatem naturæ conſtituebant, ex qua deinceps voluntatis unitas ſequeretur: Monothelitæ autem duas naturas perfectas atque integras in Chriſto cum Catholicis profitebantur; ſed voluntatem unam dumtaxat. Nimirum Monothelitæ re Apollinariſtæ, Eutychiani, Monophyſitæ erant; quemadmodum & in Concilio Toletano XIV. Canone ſecundo eorum hæreſis Apollinaris dogma nuncupatur; & Sanctus Martinus I. Pontifex Summus & Martyr in epiſtola ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem ſcribit, hæreſim hanc Monothelitarum renovaſſe Apollinariſtarum, Severianorum, Eutychianiſtarum, atque Manichæorum errorem. Sed cum Monothelitæ Catholici videri vellent, & propter Eutychianæ hæreſis damnationem, unam in Chriſto naturam dicere non auderent, naturas duas verbo quidem profitebantur, revera tamen negabant: cum voluntatem unam dumtaxat in Chriſto ponerent, unamque operationem; naturam humanam facultatibus ſuis omnibus ſpoliarent, eamque Divinitatis inſtrumentum ſolummodo agnoſcerent; ut ex Theodori Pharanitani Monothelitarum principis verbis, quæ in Synodo Lateranenſi Secretario tertio, & in Sexta Synodo Actione decima tertia referuntur, cognoſcere licet; quibus voluntatem, quam unam & ſolam Chriſto tribuit, Divinam eſſe palam prædicat.

II. Quo facilius vero hæreſim ſuam hanc Monothelitæ tegere poſſent, hoc ceperunt conſilium: ut in Chriſto neque unam neque duas dicerent operationes, quemadmodum voluntatem unam dicebant; licet ex eorum principiis utrumque ſequeretur. Profecto Sergius Con-

ſtan-

Digitized by Google

ſtantinopolitanus Epiſcopus hæreſis hujus propagator & propugnator acerrimus in ſua *Ecthesi* Heraclii Imperatoris nomine edita, quam ipſe tamen conſcripſit, unam voluntatem confidenter pronuntiat, operationes autem, neque duas, neque unam nec dicit, nec dici patitur. Si enim unam operationem unamque voluntatem aperte palamque dixiſſet; valde verendum erat, ne continuo Monothelita, immo Monophyſita audiret, hæreſiſque ſua vulgo diſpaleſceret: cum intelligi non poſſit, duas eſſe naturas integras atque perfectas, ubi una ſit operario, una voluntas. Quamobrem ab operationum numero abſtinendum putavit. Nequis vero ex unitate voluntatis idem colligeret, ad tergiverſationem hanc confugit, & hæreſim ſuam alio tranſtulit. Nimirum iccirco voluntates duas in Chriſto dici non poſſe, ne duæ voluntates inter ſe contrariæ in Chriſto eſſe viderentur; ut, qui audirent Monothelitas unam voluntatem dicere in Chriſto, non hoc intelligerent, alterutram in eo voluntatem deeſſe; ſed alteram cum altera ita conſentientem atque conſpirantem, ut humana numquam a Divina diſſenſerit; ac proinde propter duarum voluntatum unanimitatem una Chriſti voluntas eſſe diceretur.

III. Quinimmo quo magis hæreſim ſuam Sergius occuleret, atque facilius Catholicis imponeret; non voluntatem humanam omnem Chriſto detrahere ſe ſimulabat, ſed humanam eam, quæ carnis appellatur; exemplumque de nobis ſumebat, in quibus caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Pugnam iſtam in Chriſto inter voluntatem carnis & ſpiritus cum impium ſit ſtatuere, impium pariter eſſe dicebat, duas in Chriſto ponere voluntates, ex quibus pugna illa ſequeretur: atque dum re vera Chriſto voluntatem humanam detraheret, ſo-

Digitized by Google

lamque Divinam illi tribueret, hanc compoſuit fallaciam; ut non voluntatem omnem humanam, ſed carnis dumtaxat Chriſto abjudicare videretur. Dolum hunc malum adhibuit Sergius, cum ad Honorium I. Pontificem Summum ſcripſit; a quo cum voluntatis unius profeſſionem elicere vellet ad hæreſim ſuam tuendam, vafre atque malitioſe epiſtolam texuit, qua duas contrarias voluntates in Chriſti humanitate quoſdam dicere finxit; ut illi Honorius reſpondere cogeretur, in Chriſto unam fuiſſe voluntatem ad carnis voluntatem excludendam. Quod Honorii verbum Monothelitæ deinceps vulgarunt, eoque ad unam voluntatem in Chriſto ſtabiliendam abuſi ſunt.

IV. Hæc autem Monothelitarum hæreſis Seculo Septimo ineunte prodiit. Nam in Sexta Synodo Actione decima tertia profertur epiſtola Cyri ad Sergium data, qua illum rogat, ut Monothelitarum dogma ſibi dilucide exponat. Hæc Cyri ad Sergium epiſtola miſſa fuiſſe ibidem dicitur *ante quinquaginta ſex annos per quartam decimam Indictionem præteriti circuli*, nimirum anno ſexcenteſimo ſexto atque vigeſimo, qui Indictione decima quarta fuit notatus. Verum ante jam Sergius Monotheliſmum animo imbiberat, ejuſque virus evomuerat; ut ex Sancto Maximo Martyre diſcimus; qui in diſputatione cum Pyrrho hæc habet: *Sergius ad Georgium cognomento Arſam Paullianiſtam ſcripſit, rogans, ut mitteret ſibi auctoritates de una operatione, inſeruitque epiſtolæ, facere etiam ſe his auctoritatibus unionem Eccleſiæ cum eis. Hanc autem epiſtolam Beatus Johannes Papa Alexandrinus manu ab Arſa abſtulit; unde cum vellet etiam eum ob ipſam deponere, impeditus fuit ab incurſu tunc a Perſis in Ægyptum facto*. Quibus ex verbis cogno-

Digitized by Google

noſcimus, Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum ad Georgium illum ſcripſiſſe, dum Sanctus Johannes Eleemoſynarius viveret, & antequam Alexandria in Perſarum poteſtatem redigeretur. Obiit autem Sanctus Johannes Eleemoſynarius Alexandrinus Epiſcopus anno ſexcenteſimo decimo ſexto, eodemque anno a Perſis capta fuit Alexandria. Itaque Sergius vel anno illo, vel fortaſſe ſuperiore, quo Perſæ in Ægyptum irruperant, litteras illas plenas Monothelisſmi ſcripſit: ac proinde jam tum Monothelita erat.

V. Hujus hæreſis tamen Sergius architectus non fuit; ſed ejus primus parens Theodorus quidam Pharanites, ſeu Pharanis Epiſcopus in Arabia, Sergii æqualis, & a quo Sergius hæreſim illam hauſiſſe videtur. Etenim in Libello Stephani Dorenſis Epiſcopi, qui lectus fuit in Concilio Lateranenſi ſub Sancto Martino, Secretario ſecundo ſcriptum eſt: *Theodorus Pharanitanæ Eccleſiæ quondam Epiſcopus Sanctam Eccleſiam in pace & tranquillitate conſiſtentem prius turbavit; poſtmodum autem Cyrus, Sergius &c.* Et in Secretario tertio Synodi ejuſdem legimus: *Theodorum Pharanitanum primum eſſe auctorem hujuſmodi novitatis*, idest Monothelisſmi, *præſens Stephanus Epiſcopus Dorenſis in proprio Libello aſſeruit; quod & omnibus manifeſtum eſt*. Quamobrem illius ſcripta primo loco lecta fuere in eadem Synodo Lateranenſi: & in Sexta Synodo Actione decima ſexta primo loco *Theodoro hæretico Pharanitano anathema* dicitur: & Actione decima ſeptima, & decima octava, & in ſermone Proſphonetico, atque in Relatione ad Sanctum Agathonem Pontificem Summum, & in Edicto Imperatoris *Theodorus* ille *Pharanites* ſemper primo loco nominatur. Igitur ſi Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Monotheliſmum

Digitized by Google

liſmum profeſſus fuit anno ſexcenteſimo decimo ſexto; Theodorus Pharanitanus vero hæreſis hujus primus auctor eſſe dicitur, hunc oportet antea Monotheliſmum fabricatum fuiſſe. In Synodo Lateranenſi Secretario tertio, & in Sexta Synodo Actione decima tertia proferuntur loca quædam ex Theodori hujus Sermone, quo interpretatus fuerat Patrum teſtimonia: item ejuſdem verba ex Libro, quem ſcripſerat ad Sergium Arſenoitarum Epiſcopum Ægyptiacæ Diœceſeos; atque ex utriſque locis apparet purus putus Monothelita. Sanctus Maximus Martyr in Diſputatione cum Pyrrho memorat Epiſtolam ejuſdem Theodori ad Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum datam, qua Monotheliſmum probavit; cum Sergius ex illo quæſiſſet, quid ſentiret *de una operatione & voluntate?* Ex quibus perſpicuum fit, Theodorum Pharanitanum Monotheliſmi architectum fuiſſe; ac proinde antequam Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui de illo accepit, quicquam hac de re ſcriberet, hoc eſt ante annum ſexcenteſimum decimum ſextum hæreſim Monothelitarum erupiſſe, nimirum Seculo Septimo ineunte. Quod vero Sancti Agathonis Legati in Actione prima Sextæ Synodi dixerint, *ante quadraginta ſex annos quaſdam novitates vocum fuiſſe inductas*, hoc eſt, anno fere ſexcenteſimo trigeſimo quarto; quod idem tempus etiam Sanctus Martinus Pontifex Summus ſignificavit in epiſtola ad Amandum Trajectenſem Epiſcopum: hoc non de Monotheliſmi prima origine eſt accipiendum, ſed de tempore, quo primum ad Apoſtolicam Sedem hæreſis hujus notitia aliqua fuit perlata.

VI. Quamvis autem Seculo Septimo ineunte Monothelitarum hæreſis exorta ſit; non continuo tamen aut Decreti alicujus auctoritate a Monothelitis fuit confirma-

Digitized by Google

mata, aut publico aliquo ſcripto propoſita uſque ad annum ſexcenteſimum tertium atque trigeſimum. Legimus quidem in Libello Synodico, quemadmodum, cum *Heraclius* Imperator *Phaſidem fluvium in poteſtatem redegit*, quod anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto contigit, *quidam Acephalorum*, Paullus ille nempe monoculus Severi ſectator, quicum quatuor ante annis Theodoſiopoli ſermonem Heraclius idem habuerat, *quæſtionem de voluntatibus & operationibus* Chriſti *ei ſuggeſſit*. *Quam quidem quæſtionem cum Heraclius cum Cyro Phaſidis* tunc *Epiſcopo communicaſſet*, *& uterque* Heraclius & Cyrus *dubitaret*, *Sergio Conſtantinopolitano iſthæc renuntiarunt*. *Ille vero* Sergius *hæretico inſtituto Synedrio unam voluntatem & operationem in Chriſto Deo & Servatore noſtro eſſe Imperatori Heraclio reſcripſit*. Profecto hoc anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto ad Sergium Cyrus epiſtolam dedit, qua de illo ſciſcitatus eſt, unane an duæ in Chriſto operationes dicendæ eſſent? Illa enim Cyri epiſtola, quæ refertur Actione decima tertia Sextæ Synodi, ibidem ſcripta fuiſſe dicitur *ante quinquaginta ſex annos per quartam decimam Indictionem præteriti circuli*: quæ temporis nota anno huic ſexcenteſimo vigeſimo ſexto optime reſpondet. Sergius autem ad Cyrum reſcripſit: rem hanc in Conciliis numquam in controverſiam veniſſe; ac proinde ex Conciliis elici nihil poſſe, quo propoſita quæſtio definiatur. Tum addidit: nonnullos ex Sanctis Patribus unam Chriſti operationem aperte dixiſſe; quorum teſtimonia ad Cyrum miſit; ſed ſententiam ſuam vix explicavit. Reſponſum hoc Sergii ad Cyrum habetur in Actione duodecima Sextæ Synodi. Verum in hoc ſuo reſponſo Sergius de Concilio a ſe ad hanc rem coacto nihil meminit: vel quod poſtmodum illud habue-

buerit ; vel quod obſcurum & infrequens. illud Sergii Concilium fuerit , nullamque in eo ſuper hac quæſtione definitionem perſcripſerit , nequod ipſe ſibi periculum crearet . Nihil itaque uſque ad annum ſexcenteſimum trigeſimum tertium aut Sergius , aut Cyrus hæreſis Monothelitarum propugnatores palam ſaltem moliti fuiſſe videntur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCXXXIII. uſque ad annum DCXXXIX.

I. ANno DCXXXIII. cum Cyrus, qui antea Phaſidis Epiſcopus erat, Alexandrinus Patriarcha renuntiatus fuiſſet, *nefanda inſtituta Synodo*, ut in Libello Synodico ſcriptum eſt, *Capitula novem edidit*: quorum Septimo hoc definivit: *Si quis non confitetur Chriſtum operantem Deo decibilia & humana, una Dei-virili operatione, anathema ſit*. Vir enim acerrimo ingenio & ad fallendum parato hoc excogitavit, ut Monotheliſmum inducere poſſet: nimirum Eutychianiſtarum diverſas ſectas ad concordiam adducere velle ſe ſimulavit, omneſque ad Catholicam Eccleſiam reducere; iccirco Fidei profeſſionem illis exhibuit, qua duas quidem naturas profiterentur in Chriſto, ſed unam operationem dumtaxat, ut ex Eutychianiſtis Monothelitæ fierent. Ita Cyrus *callide quaſi aliquam occaſionem & cooperimentum propriæ novitatis, convocationem impiorum & hæreticorum faciendo, perfidiam eorumdem hæreticorum contra orthodoxos Eccleſiæ alumnos introduxit*: quemadmodum conqueſti ſunt Monachi Græci in Secretario Secundo Concilii Lateranenſis. Synodale hoc ſuum Decretum promulgavit Cyrus Menſe Majo, Indictione Sexta, nimirum hoc anno ſexcenteſimo tertio atque trigeſi-

Digitized by Google

mo : & hoc eſt primum publicum Decretum , quo Monothelitarum hæreſis fuit confirmata atque divulgata.

II. Pſeudo-Synodo huic Alexandrinæ præſens aderat Sanctus Sophronius tunc Monachus ; qui cum audiret Catholicam Fidem per pietatis ſpeciem a Cyro labefactari , vehementiſſime reſtitit Capitulo illi , quo una in Chriſto operatio definiebatur . Sed cum nihil apud Cyrum Sophronius promoviſſet , Conſtantinopolim ad Sergium perrexit , ſperans Cyrum Sergii , quem orthodoxum eſſe credebat , auctoritati ceſſurum : ignorabat enim Sophronius Sergii cum Cyro in eamdem hæreſim conſpirationem . Sophronio Conſtantinopolim petenti Cyrus litteras ad Sergium perferendas , quibus illum de ſua Synodo, atque de Capitulis in ea definitis certiorem faciebat , tradidit : quæ Cyri litteræ lectæ fuerunt in Sexta Synodo Actione decima tertia . Has cum Sophronius Sergio reddidiſſet , ſtatim intellexit , Sergium cum Cyro in eadem hæreſi conſentire . Tum Sophronius, uti Monachum adverſus Epiſcopum decet , Sergium *admonuit cum humilitate ad ejus veſtigia provolutus* , *Chriſti Dei paſſionibus vivificis* , *quæ omnem ſupplicationem continebant* , *commemoratis ; & obteſtans* , *ne vocem hæreticorum*, unam ſcilicet operationem , *probe olim a Sanctis Patribus exſtinctam renovaret* : quod narrat Sanctus Maximus Martyr in Diſputatione cum Pyrrho . Sed neque precibus neque admonitionibus Sophronii Sergius locum reliquit . Nam Cyro reſpondit probare ſe , ſuſcipere , atque commendare hæreticum Decretum ; ut ex ipſa Sergii epiſtola , quæ refertur in Concilio Lateranenſi Secretario tertio , videre licet.

III. At cum in locum Modeſti Epiſcopi Jeroſolymitani vita functi hoc ipſo anno exeunte Sophronius ſuf-

ſe-

Digitized by Google

fectus fuiſſet; ubi hoc Sergius audivit, illico ſibi timere cepit: noverat enim Sophronii ingenium ex ſermone, quem cum eo nuper habuerat; neque ignorabat, Sophronium Epiſcopum factum multimodis & Monothelismo, & ejus patronis poſſe incommodare. Non ſolum enim præſentiebat, Sophronium more majorum Fidei Catholicæ profeſſionem, quæ Monothelitarum hæreſim oppugnaret, emiſſurum; quod ſane ab illo ſtatim factum fuit: ſed ipſam quoque etiam hæreſim ad Pontificem Summum, tamquam ad ſupremum Fidei judicem delaturum; quod ille non ita multo poſt fecit. Nullam igitur Sergius moram interponendam putavit, quin ſibi cito conſuleret, & ad fallacias doloſque ſtatim confugeret. Quamobrem ad Honorium I. qui tum Pontifex Summus erat, epiſtolam fraudis atque inſidiarum plenam Sergius dedit eo conſilio, ut ipſe litteris ſuis orthodoxus Honorio, Honorius autem ſuo reſponſo Monothelita Catholicis videretur. De qua Sergii epiſtola & Honorii reſponſo, quæ exſtant in Sexta Synodo Actione duodecima, ſuo loco plura a nobis dicentur. Hic illud notandum, epiſtolas iſtas anno ſexcenteſimo trigeſimo quarto ſcriptas fuiſſe: nam ab hoc tempore, quo primum ad Apoſtolicam Sedem hæreſis hujus Monothelitarum per Sergii epiſtolam notitia aliqua fuit delata, tum Sanctus Martinus Pontifex Summus, tum Apoſtolicæ Sedis Legati in Sexta Synodo, ejuſdem hæreſis initium duxerunt.

IV. Hoc eodem anno ſexcenteſimo trigeſimo quarto Sanctus Sophronius Jeroſolymitanus Epiſcopus Synodum coegit Antiſtitum Paleſtinæ, in qua edidit Sacram illam Encyclicam, qua multis Sanctorum Patrum teſtimoniis duas in Chriſto voluntates duaſque operationes eſſe de-

Digitized by Google

monſtravit, *Actaque ſua Synodalia Honorio Papæ, & Sergio Conſtantinopolitano miſit*: ut ſcriptum eſt in Libello Synodico. Sophronii epiſtola Synodica exſtat in Sexta Synodo Actione undecima. Non ſolum autem hac ſua Synodica Sophronius Monothelitas reprehendit; ſed etiam deinceps *illis validiſſime contradixit, conteſtans eos, & admonens, ut a propria hæreſi quieſcerent, & ad rectam Patrum fidem remearent; dans in duobus Libris ſexcenta teſtimonia Patrum ad evictionem impietatis eorum, & veritatis oſtenſionem*. Ita Sanctus Sophronius Sergium atque Cyrum ab hæreſi revocare conatus fuit, ut Stephanus Dorenſis Epiſcopus teſtis non auritus, ſed oculatus fatetur in Secretario ſecundo Concilii Lateranenſis. Sed incaſſum Sophronius laboravit; quinimmo eos *commovit contra ſe ad inſidias & malignam detractionem*; ut Stephanus idem narrat.

V. Anno DCXXXVI. ineunte, ut paullo poſt oſtendemus, Sergius Epiſcopus Conſtantinopolitanus *Ecthesim* conſcripſit. Erat autem *Ecthesis* Fidei formula quædam, ſive definitio, aut decretum, quo Monothelitarum dogma confirmabatur. *Ecthesi* ſua Sergius vetabat omnes *unam vel duas dicere ſive docere operationes in Divina Domini Incarnatione*, jubebatque *unam voluntatem Domini noſtri Jeſu Chriſti veriſſimi Dei* profiteri. Hanc Sergius Heraclii Imperatoris nomine edidit, non tamen ſtatim ac illam conſcripſit; ſed duobus poſt annis & amplius; nimirum poſt Honorii I. mortem. Hoc ipſo tempore Sanctus Sophronius hæreſis hujus, ejuſque ſectatorum, cum nihil apud illos admonitionibus ſuis profeciſſet, Honorium I. Pontificem Summum certiorem facere decrevit; &, cum Romam ipſe pergere non poſſet *propter Sarracenorum incurſionem*, Stephanum illum, qui tum Preſ-

Presbyter erat, poſtea vero Dorenſis Epiſcopus fuit, ſuo nomine miſit: *Duxit me Sophronius*, inquit Stephanus in Secretario ſecundo Concilii Lateranenſis, *& ſtatuit in Sancto Calvariæ loco, dicens: Tu dabis rationem ipſi, qui propter nos ſecundum carnem in hoc Sancto loco ſponte crucifixus eſt Deus, ſi diſtuleris & poſtpoſueris Fidem ejus periclitantem, licet ego hoc facere corporaliter, ut noſti, propter emerſam ex noſtris peccatis incurſionem Sarracenorum præpedior. Quantocius ergo de finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apoſtolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exſiſtunt, pervenias; aperiens Sacris Viris ibidem conſiſtentibus omnia ſecundum veritatem, quæ in iſtis partibus mota ſunt &c.* Stephanus itaque ille Sancti Sophronii nomine apud Honorium I. legationem obiit ad Monothelitarum hæreſim profligandam, dum Sarraceni Jeroſolymam obſidebant; quod illi anno ſexcenteſimo trigeſimo ſexto aggreſſi ſunt; & anno inſequenti eam expugnarunt. Urbis captæ mœrore Sanctus Sophronius vitam obiit. Igitur vel hoc anno ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, vel proximo, Stephanum a Sancto Sophronio ad Honorium I. miſſum fuiſſe oportet. Tunc Sergium atque Cyrum Honorius & hortari, & orare, & obteſtari, & monere, & denique objurgare, ut ab hæreſi recederent, non deſtitit: quod intelligimus tum ex ipſo Legato Stephano, qui *excitavit*, inquit, *Deus non mediocriter Apoſtolicos Præſules*, in quibus certe & Honorium I. apud quem ſuam Stephanus legationem obierat, *in commonitione, nec non conteſtatione prædictorum virorum* Sergii & Cyri, *licet nullo modo eos flectere potuerunt*: tum ex Sancti Agathonis epiſtola, quæ lecta fuit Actione quarta Sextæ Synodi: *Apoſtolicæ memoriæ*, ſcripſit Sanctus Pontifex, *meæ parvitatis præ-*

deceſ-

Digitized by Google

deceſſores, Dominicis doctrinis inſtructi, ex quo novitatem hæreticam in Chriſti immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitani Eccleſiæ Præſules introducere conabantur, numquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut a pravi dogmatis hæretico errore, ſaltem tacendo, deſiſterent; ne ex hoc exordium diſſidii in unitate Eccleſiæ facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum aſſerendo in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto. Hæc profecto in Honorium I. cadunt, qui tum Pontifex Summus erat, cum Sergius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Monothelitarum hæreſim propugnare cepit.

VI. Anno DCXXXVIII. die duodecima Octobris Honorius I. ex hac vita migravit, in cujus locum electus fuit Severinus. Poſt Honorii mortem & Severini electionem hoc ipſo anno exeunte Sergius *Ecthesim* ſuam, quam duobus & amplius ante annis conſcripſerat, publicavit Heraclii Imperatoris nomine. Hic nobis tria argumentis ſunt confirmanda: quorum primum eſt: *Ecthesim*, quamvis Heraclii Imperatoris nomen præſeferret, a Sergio tamen fuiſſe compoſitam: alterum: fuiſſe illam a Sergio conſcriptam anno DCXXXVI. ineunte: tertium denique: etſi tunc fuerit conſcripta, non fuiſſe tamen publicatam quoad Honorius vixit; ſed tamdiu Sergium *Ecthesis* publicationem diſtuliſſe, donec Honorius mortem obiret. Quæ tria nobis in Honorii defenſione magno uſui futura ſunt. Ad primum quod attinet, *Ecthesim* ſcilicet a Sergio fuiſſe compoſitam, Heraclius ipſe id teſtificatus eſt in epiſtola ad Johannem IV. Pontificem Summum, per quam ſe illi de hoc crimine purgavit: *Ecthesis*, ſcribit Imperator ad Johannem IV. *non eſt mea; neque enim ego vel dictavi, vel juſſi ut fieret. Sed cum hanc Sergius Patriarcha compo-*

ſuiſ-

Digitized by Google

ſuiſſet ante quinque annos , priuſquam ab Oriente repedaſſem , deprecatus eſt me , cum ad banc felicem perveniſſem urbem , ut nomine meo proponeretur cum ſubſcriptione , & ſuſcepi deprecationem illius . Nunc vero cognoſcens , quod quidam ſuper ea altercarentur , cunctis facio manifeſtum , quia non eſt mea . Quam Heraclii epiſtolam refert Sanctus Maximus in Collatione cum Principibus in Secretario: qui deinceps addidit : *Hanc fecit juſſionem Heraclius ad Beatum Johannem Papam : & ex eo tempore ubique Sergii eſſe dicitur Ecthesis* . Etiam Sanctus Martinus in Secretario tertio ſui Lateranenſis Concilii, Sergium *Ecthesis* auctorem fuiſſe prædicavit : *Sergius* , inquit , *per nuper duodecimam Indictionem elapſam hæreticam conſcribens Ecthesim Fidei , ſub nomine tunc Heraclii Imperatoris &c.* Duo hæc teſtimonia , quibus Sergium *Ecthesis* auctorem fuiſſe cognoſcimus , tempus etiam & conſcriptionis , & publicationis ejus nobis patefaciunt . Nam cum Heraclius Imperator ſcripſerit , *ante quinque annos Ecthesim* a Sergio fuiſſe compoſitam ; ſi tempus , quo Heraclius epiſtolam illam ad Johannem IV. dedit animadvertemus, ſtatim nobis manifeſtum erit , quo illam tempore Sergius compoſuit . Johannes IV. in Severini locum die vigeſima quarta Decembris anni ſexcenteſimi quadrageſimi fuit ordinatus : Heraclius vero die undecima Februarii anni inſequentis ſexcenteſimi quadrageſimi primi obiit . Quo fit , ut Heraclius ad Johannem IV. ſcripſerit anno ſexcenteſimo quadrageſimo primo ineunte : non ante ; cum Johannes nondum Pontifex Summus eſſet ; neque poſtea , cum Heraclius e vita migraverit : & cum quinque ante annis Sergius *Ecthesim* compoſuiſſet , anno DCXXXVI. id illum feciſſe oportet.

VII. Jam vero cum Sanctus Martinus dixerit : *Sergius*

Digitized by Google

gius per nuper duodecimam Indictionem elapſam, hæreticam conſcribens Ecthesim &c. hiſce verbis tempus, quo *Ecthesis* a Sergio fuit publicata Sanctus Pontifex indicavit. Indictio duodecima initium cepit a Calendis Septembris anni DCXXXVIII. & die ultima Auguſti anni DCXXXIX. eſſe deſiit. Sed nemo, credo, dixerit, Sergium *Ecthesim* publicaſſe anno DCXXXIX. cum extinctus fuerit anno DCXXXVIII. exeunte, ſcilicet menſe Decembri, ut Nicephorus in Chronico nos docet; qui annos Epiſcopatus Sergii, & annos itidem Epiſcopatus Pyrrhi, qui Sergio ſucceſſit, recenſet: ut, annorum ratione recte ſubducta, neque Sergius poſt menſem Decembrem anni DCXXXVIII. ſuperſtes eſſe potuerit, neque Pyrrhus poſt menſem Januarium anni DCXXXIX. Epiſcopatum ſuſceperit: quemadmodum Antonius Pagius animadvertit; qui Sergii mortem die octava vel nona menſis Decembris contigiſſe demonſtrat. Sergius itaque ante id tempus *Ecthesim* publicavit. *Indictione* tamen *duodecima*, ut Sanctus Martinus teſtificatur; nimirum anno ſexcenteſimo trigeſimo octavo poſt Calendas Septembris; nam Calendis Septembris Indictio duodecima eſſe cepit. Ex quo fit, ut a Sergio *Ecthesis* eo temporis ſpatio, quod a Calendis anni ſexcenteſimi trigeſimi octavi uſque ad diem octavam menſis Decembris ejuſdem anni intercedit, fuerit publicata. Atqui cum Honorius I. die duodecima Octobris ejuſdem anni ex hac vita migraverit, inveſtigemus, an ante Honorii mortem, an vero poſtquam ille obiit, Sergius *Ecthesim* publicaverit.

VIII. Si quis vero Cyri Alexandrini Epiſcopi reſponſum ad Sergium attente perlegerit; is cito intelliget, Sergium non ante *Ecthesim* ſuam publicaſſe, quam ſibi fuerit compertum de Honorii I. morte, & de Severini illius

Digitized by Google

illius ſucceſſoris electione . Nam ubi Sergius *Ecthesim* publicavit , eamque Synodali Decreto confirmavit ; ejus exemplum ad Cyrum miſit , eidem ſignificans , *Ecthesim* illam a Severino nuper electo Romano Pontifice ſubſcribendam eſſe, antequam conſecretur . Id quod quamvis ex Sergii epiſtola , quæ periit , diſcere non poſſumus ; ex Cyri reſponſo tamen , quod exſtat in Secretario tertio Concilii Lateranenſis cognoſcimus . Eo enim ad Sergium Cyrus ſcribit, accepiſſe ſe *exemplar Ectheſeos ad Iſaacium Exarchum Italiæ deſtinatæ , quam debet profiteri communis frater noſter Severinus , qui ordinatur in Roma* . Cum igitur Sergius ad Cyrum exemplar dederit *Ectheſeos* jam ad Exarchum miſſæ , & ab eo Romam ad Severinum perferendæ , ut illam novus Pontifex profiteretur atque ſubſcriberet , antequam conſecrationem acciperet : perſpicuum fit , *Ecthesim* a Sergio fuiſſe publicatam , poſtquam certior factus fuerat de Honorii I. morte , & Severini electione.

IX. Porro *Ectheſis* hujus publicatio in cauſſa fuit , cur Severini conſecratio dilata fuerit . Nam ut ex Cyri ad Sergium reſponſo diſcimus ; hoc Sergius in animum ſuum induxerat , a Severino recens electo *Ecthesim* ſubſcribendam eſſe . Id Sergius ut aſſequeretur , Heraclio Imperatori perſuaſit , ut confirmationem pro Severini conſecratione non ante concederet , aut ab Exarcho concedi ſineret , quam *Ectheſi* Severinus ſubſcripſiſſet . Hinc non ſolum *Ectheſis* Exarcho miſſa , ut eam Romam deferret , & a Severino ſubſcribendam curaret ; ſed a Legatis etiam , qui pro Severini ordinatione Conſtantinopolim miſſi fuerant , ejus Eccleſiæ Clerici poſtularunt, ut pollicerentur , operam daturos ſe , ut *Ecthesim* Severinus confirmaret ; quod narrat Sanctus Maximus in

Digitized by Google

epiſtola ad Abbatem Thalaſſium : *Non aliter* , inquibant Clerici Conſtantinopolitani ad Legatos Romanos , *nobis in Capitulo*, *pro quo tantum tranſigentes navigium huc veniſtis* , *favorem præſtabimus* ; *niſi prius vos ſuaſuros ei* , *qui ſacrandus eſt* , *profiteamini* , *huic Chartæ* , Ecthesi ſcilicet , *ſubſcribere* , *& dogmatibus* , *quæ in ea continentur* , *exceptis dilationibus* , *conſentire* . Iniquiſſimam hanc conditionem Legatis Apoſtolicis conſtituere Clericos Conſtantinopolitanos non puduit . Verum illi ſcito reſponſo Græcos eluſerunt , & *Juſſionem* ab Heraclio Imperatore tandem impetrarunt . Atqui poſtquam Severinus conſecratus fuit , tantum abſuit , ut *Ecthesim* ſubſcriberet , ut immo illam reprobaverit, atque anathematizaverit ; quemadmodum Sanctus Martinus in Secretario tertio Concilii ſui Lateranenſis memorat : *Ceciderunt* , inquit Sanctus Pontifex , *a ſua ſpe* : *nec enim ſuſcepta eſt omnino* , *aut admiſſa eſt ſecundum vanam eorum ſpem* ; *magis autem condemnata eſt* , *& anathematizata ab Apoſtolica auctoritate huc tranſmiſſa peſſimæ & præſumptæ novitatis eorum Ecthesis* .

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCXXXIX. uſque ad annum DCXXXXVIII.

I. Sergio extincto anno DCXXXVIII. exeunte, *Pyrrhus, qui & ipſe falſæ illi opinioni* Monothelitarum *erat addictus, ſolio* Conſtantinopolitano *potitus eſt; & Synodo hæretica inſtituta, ea, quæ a Sergio & Cyro decreta fuerant, corroboravit*; ut legimus in Libello Synodico. Nimirum Sergio Monothelitæ Pyrrhus & ipſe Monothelita in Epiſcopatum Conſtantinopolitanum ſucceſſit; atque ſtatim *Ecthеſim* Synodali Decreto confirmandam curavit. Synodi hujus Acta quædam referuntur in Concilio Lateranenſi Secretario tertio: *Et nos*, edixit Pyrrhus, *ſequentes ejuſdem Imperatoris Heraclii virtutem, & conſtructionem ejus dogmaticæ* Ecthеſeos *in omnibus admittentes, decernimus, Epiſcopos, qui necdum Imperialis prædicationis inſinuationi ſubſcripſiſſe probantur in tempore præcedenti, ut proprias ſubſcriptiones poſt noſtram ſubſcriptionem Actibus ſubjungere debeant &c.* Ex quibus hæreticæ Synodi Actis intelligimus, a Pyrrho *Ecthеſim* fuiſſe probatam, ſuſceptamque, atque ab eo inſuper ſtatutum, ut Epiſcopi omnes *Ecthеſi* ſubſcriberent. Quinimmo quo facilius in Monotheliticam hæreſim Pyrrhus omnes inducere poſſet, *Ecthеſim* in locis publicis exponendam mandavit: de quo queſtus eſt Theo-

C 2 dorus

dorus Pontifex Summus in epiſtola ad Paullum Pyrrhi ſucceſſorem: *Ecthesim*, ſcribit Theodorus, *in publicis locis Pyrrhus ſuſpendere audaci tranſgreſſione præſumpſit*.

II. Anno DCXXXXI. ineunte Johannes IV. qui die vigeſima quarta Decembris anni ſuperioris ſexcenteſimi quadrageſimi in Severini vita functi locum fuerat ordinatus, Romæ Concilium coegit, in quo Monothelitarum dogmata damnavit, in iiſque nominatim *Ecthesim*. Synodi hujus a Johanne IV. habitæ Scriptor Libelli Synodici, atque Theophanes meminerunt. Ad Pyrrhum deinde Pontifex Summus ſcripſit. Cujus epiſtola quamvis interciderit, eam tamen Sanctus Maximus memorat in Collatione cum Principibus in Secretario: ubi poſtquam Heraclii Imperatoris litteras, quibus ſe de *Ecthesi* apud Johannem IV. purgavit, retulit, hæc habet: *Hanc fecit juſſionem Heraclius ad Beatum Johannem Papam condemnantem Ecthesim in his, quæ ſcripſerat ad Pyrrhum*. Quibus ex verbis diſcimus, & Johannem IV. *Ecthesim* damnaſſe, & ad Pyrrhum ſcripſiſſe, dum Heraclius viveret; ac proinde anno hoc ineunte. Nihil tamen Pontifex Summus apud Pyrrhum promovit. Nam quemadmodum Theodorus Johannis IV. ſucceſſor narrat in epiſtola ad Paullum Pyrrhi ſucceſſorem, *obteſtatione Pyrrhus conventus a deceſſore noſtro* Johanne IV. *corrigi parvi pendit*. Quin ex Pyrrhi reſponſo ad Johannem IV. cujus fragmentum refertur in Sexta Synodo Actione decima tertia, apparet, quanta fuerit ipſius contumacia: *Quis enim*, reſcripſit Pyrrhus ad Johannem IV. *videns vos tam minime affectos, & eos, quibus obtigit Sacerdotium, probris ab iis appetitos, quorum ſunt paſtores, non ludificabitur, & noſtram condemnabit ſententiam, & ex noſtra inſolentia ſuæ impietatis capiet occaſionem?*

Non-

Nondum enim finitum eſt bellum de duabus naturis , & nobis alium inducimus tumultum . Quibus verbis queritur Pyrrhus ſe ab Johanne IV. reprehenſum ; atque in illum diſſenſionis cauſſam transfert , quaſi injuria hæreſim perſequeretur . Hac ipſa Epiſtola , ut veriſimile eſt , ſcripſit Pyrrhus ad Johannem IV. a Menna jam olim compoſitum fuiſſe *Libellum* , *qui unam voluntatem continebat* , *eumque Vigilio tunc Pontifici Romano oblatum eſſe & oſtenſum* , *lectum etiam per Conſtantinum quæſtorem* : quod Sanctus Maximus Martyr in Diſputatione cum ipſo Pyrrho illi exprobravit , & in quo ipſum falſitatis redarguit .

III. Hoc ipſo anno DCXXXXI. Heraclius Imperator ceſſit e vita , die undecima Februarii ; cujus filius Conſtantinus Catholicus Princeps *paterni Imperii dumtaxat* , ut Zonaras ſcribit , *non perverſæ opinionis hæres* , imperavit *centum ac tribus diebus* tantummodo ; quemadmodum Nicephorus narrat . Ad Conſtantinum hunc Johannes IV. Apologiam pro Honorio I. miſit : ex quo intelligimus , illam hoc anno ſcriptam fuiſſe , & anſequam Conſtantinus mortem obiret , quam oppetiit die vigeſima quinta menſis Maii . Apologiæ hujus pro Honorio ſcribendæ occaſio nata eſt ex Pyrrho ceteriſque Monothelitis , qui Honorii ad Sergium epiſtola per ſummam injuriam ad errores ſuos confirmandos abutebantur. Poſtquam vero Honorii I. orthodoxiam Johannes IV. defendit , Imperatorem monuit , ut *Ecthеſim* publicis locis propoſitam auferendam mandaret , & conſcindendam ; Quod præſtitum fuiſſe apparet ex epiſtola Theodori Pontificis Summi ad Paullum Epiſcopum Conſtantinopolitanum , qua illi vitio vertit , quod *Ectheſeos* exempla , quæ *per juſſionem* , inquit , *filii noſtri manſuetiſſimi Principis* ,

Digitized by Google

cipis, Conſtantini ſcilicet, *deſtructa* fuerant, rurſus autem expoſita, manere Paullus ipſe pateretur. Poſt Conſtantini Imperatoris mortem, Heracleonas alter Heraclii filius, quem ex Martina ille ſuſceperat, Imperium una cum Matre tenuit, ſed brevi; nam poſt menſes ſex, *lingua Martinæ abſciſſa, amputatiſque Heracleonæ naribus, iiſque in exilium actis, Conſtantem Conſtantini filium, & Heraclii nepotem ad Imperii thronum Senatus ſubvexit: Pyrrho vero Epiſcopi dignitate abdicato, Paullus ordinatus eſt menſe Octobri, Indictione decima quinta*: hæc Theophanes. Igitur hoc anno menſe Octobri Conſtans Conſtantini, qui menſes minus quatuor regnaverat, filius Imperium cepit: eodemque tempore Pyrrhus ſe Epiſcopatu abdicare coactus fuit; cum in ſuſpicionem veniſſet de morte Conſtantini, quem *Pyrrhi opera*, ut Theophanes idem ſcribit, Martina noverca veneno ſuſtulerat. Pyrrho Paullus ſuffectus fuit, & ipſe Monothelita, qualis & Conſtans Imperator erat.

IV. Anno DCXXXXIII. Paullus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſeu potius Sedis illius incubator, Synodicam ad Theodorum, qui in Johannis IV. die undecima Octobris anni ſuperioris demortui locum ſucceſſerat, ſcripſit. Epiſtola iſthæc Paulli periit: ſed ex Theodori Pontificis Summi reſponſione, quæ exſtat, cognoſcimus, Paullum orthodoxam Fidem epiſtola ſua callide profeſſum fuiſſe: ita enim illi Theodorus reſpondit: *Lecti apices dilectionis veſtræ limpida Fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hauſiſſe, & ſicut prædicamus, prædicare, & quemadmodum credimus, credere, & ſicut docemus, indiminute docere manifeſtarunt*. Illud vero de Paullo Theodorus graviter queſtus eſt; quod *Ecthesim* a Sergio conſcriptam, & a Pyrrho publice propoſitam, quæ ta-

tamen *per juſſionem*, pergit Theodorus, *filii noſtri manſuetiſſimi Principis deſtructa pridemque caſſata fuerat*, nimirum a Conſtantino Imperatore ſecundum ea, quæ illi Johannes IV. hac de re ſcripſerat; rurſus vero a Pyrrho jam expoſita fuerat, *non abſtulit*, *de pariete non depoſuit*. Eamdem *Ecthesim* & ipſe deinceps damnat: *Prædictam Chartam*, ſubjicit Summus Pontifex, *quæ contra orthodoxam Fidem & Calchedonenſe Concilium ſophiſtice probatur expoſita*, *cunctis viribus irritam eſſe deliberamus*, *& vinculo anathematis refutatam*; *atque ut a nobis & ab omnibus orthodoxis Epiſcopis abominatam reſpuimus*. Inſuper etiam Conſtantinopolim miſit ſolemne damnationis Decretum tam *Ectheſeos*, quam eorum, quæ a Pyrrho ad illius confirmationem ſcripta fuerant. Addit denique Theodorus in eadem epiſtola, vitii aliquid eſſe in Paulli ordinatione; nam Pyrrhum ante depoſitum oportuit, quam Paullus ordinaretur: *Canonica*, inquit, *vindicta ſuper eo debuerat provenire*, *quo fraternitatis tuæ conſecratio irreprehenſibilis & firma conſiſtat*. *Ut ergo fraternitatis veſtræ Sacerdotalis robuſtior ordo permaneat*, *oportet debitum adverſus eum colligi Epiſcoporum ex propinquioribus locis conventum*. Sed quoniam Pyrrhi fautores impedimento eſſe poterant, quominus Synodus ad hanc rem haberetur; idcirco Theodorus ad Imperatorem Conſtantem ſcripſit; ut, ſi res poſtulet, *Pyrrhum ad Romanam Urbem jubeat mitti*, *quatenus conventu Synodico a nobis*, inquit, *effecto pro ſua temeritate judicetur*. Eodem tempore Theodorus epiſtolam ab Epiſcopis, qui Paullum ordinaverant, ſuſcepit; quibus reſpondit ſecundum ea, quæ ad Paullum de ejus ordinatione ſcripſerat.

V. Anno DCXXXXV. menſe Julio cum Pyrrho in Afri-

Digitized by Google

Africa exulante Sanctus Maximus diſputationem illam habuit, quæ græce & latine exſtat: qua præſentibus Epiſcopis multis, viriſque nobilibus, ac ipſo Gregorio Patricio, qui Provinciæ præerat, ita Pyrrhus convictus fractuſque diſceſſit, ut ſibi ignoſci poſtulaverit, quod *ignorantia*, ſunt ipſa Pyrrhi verba, *in abſurdas ſententias prolapſus* eſſet. Cumque illum Sanctus Maximus adhortaretur, ut Romam pergeret, atque Theodoro Pontifici Summo Fidem ſuam exponeret cum Monotheliſmi deteſtatione, reſpondit Pyrrhus: *Præſto ſum ad faciendum hoc cum omni ſatisfactione: hoc ſolum rogo, ut dignus habear, ut videam faciem Sanctiſſimi Papæ, eique tradam Libellum eorum, quæ abſurde facta ſunt*. Statim itaque Pyrrhus *feſtinavit*, inquit Sanctus Martinus in Secretario primo Concilii Lateranenſis, *pro ipſo hic adveniens emendare proprium commiſſum, & Libellum obtulit cum ſua ſubſcriptione Apoſtolicæ Noſtræ Sedi, condemnans in eodem Libello omnia, quæ a ſe, vel deceſſoribus ſuis ſcripta vel acta ſunt adverſus immaculatam noſtram Fidem*. Tunc Theodorus Pontifex Summus *uti Epiſcopum illum ſuſcepit*: atque ut Auctor Vitæ Theodori ſcribit, *fecit eum* ipſe Theodorus *munera erogare in populum, & Cathedram ei poni juxta Altare, honorans eum ut Sacerdotem Regiæ Civitatis*. Neque id mirum videri debet, cum Pyrrhus nullo etiam tum Canonico judicio depoſitus fuiſſet.

VI. Anno DCXXXXVI. Pyrrhus Monotheliſarum hæreſim, quam paullo ante abjuraverat, rurſus amplexus fuit. Non multum temporis ſpatium fuiſſe interjectum inter Pyrrhi pœnitentiam, ejuſque relapſum cognoſcimus ex illis, qui rem hanc memorarunt. Statim enim ac de Libelli a Pyrrho facta oblatione meminerunt,

Digitized by Google

runt ; ejuſdem ad hæreſim reverſionem ſubdunt . *His ab eo peractis* , inquit Sanctus Martinus in Secretario primo Concilii Lateranenſis , nimirum Libello oblato , quo hæreſim abjuraverat , *poſtea rurſus more canis ad proprium impietatis vomitum repedavit* ; *juſtam mercedem ac retributionem propriæ tranſgreſſionis Canonicam pœnam ſive depoſitionem decerpens* . Idem iiſdemque omnino verbis Scriptor Vitæ Theodori Papæ narrat : Theophanes quoque ita ſcribit : *Roma* Pyrrhus *digreſſus* , *cum Ravennam appuliſſet* , *ad vomitum canis inſtar reverſus eſt*.

VII. Hoc ipſo anno Concilia aliquot in Africa habita ſunt adverſus Monothelitarum hæreſim : nimirum a Columbo Primate Epiſcoporum Numidiæ , a Stephano Primate Epiſcoporum Byſacii , & Reparato Primate Epiſcoporum Mauritaniæ : exſtatque Synodica trium horum Epiſcoporum ad Theodorum Pontificem Summum Indictione quarta data ; quæ & lecta fuit in Secretario ſecundo Concilii Lateranenſis . Ea epiſtola Africani Epiſcopi & Monothelitarum hæreſim deteſtantur , & Pontifici Summo , quod illi Pyrrhus ſatisfactionis Libellum obtulerit , gratulantur : nam certiores facti fuerant converſionis Pyrrhi , ejus autem relapſum ignorabant : deinde poſtulant , ut Paullum hæreſim deſerere nolentem ab Eccleſia Pontifex Summus abjiciat . Ad Imperatorem quoque ſcripſerunt : *Ut Regali auctoritate Paullum* Epiſcopum Conſtantinopolitanum *coarctare velit* , *ut cum omni generalitate orthodoxe ſapere debeat* . Ad Paullum ipſum quoque Synodicam miſerunt , qua illum deprecati ſunt , ut ab impietate recederet : quod ut facilius impetrarent , Paullumque dementiæ ſuæ puderet , Sanctorum Patrum Ambroſii , & Auguſtini teſtimonia de duabus

Digitized by Google

operationibus atque voluntatibus in Chriſto epiſtolæ ſubjecerunt. Illud vero eſt animadvertendum, in utriſque litteris tum ad Pontificem Summum, tum ad Paullum Epiſcopos iſtos conqueri, a Paullo non fuiſſe ablatas atque projectas *Chartas præ foribus Sanctæ Eccleſiæ ad ſcandalum populorum ſuſpenſas*: quod in litteris ad Theodorum ſcripſerunt. In epiſtola vero ad Paullum: *Comperimus*, inquiunt, *quod quædam contraria in Conſtantinopolitana ſunt Civitate contra inſtituta fidelium, & antiquiſſimorum Patrum, & Univerſalium Conciliorum propoſita per Chartulæ cujuſdam venenoſæ dicta, & miramur, immo dolemus, cur a vobis hæc ſunt permanere permiſſa, aut non ſtatim conſciſſa, & recto Sacerdotali propoſito radicitus amputata.* *Ecthesim* ſcilicet ſignificant, quam Pyrrhus publice propoſuerat, & Paullus manere ſuſpenſam etiam tum paſſus fuerat, Theodoro Pontifice Summo fruſtra illum hortante, ut *Ecthesim* auferret: quæ etiam poſtmodum ſuſpenſa manſit; atque tum demum a locis publicis ablata fuit, cum *Typus* prodiit; ut ipſemet Conſtans Imperator in *Typo* fatetur. Litteras iſtas Africani Epiſcopi ad Imperatorem, & Paullum recta Conſtantinopolim non miſerunt: ſi quidem propter rebellionem Gregorii Africæ Prætoris, quæ hoc tempore contigit, *in quamdam ſuſpicionem noſtra Africana a malignis hominibus apud Regiam Civitatem recitata eſt Provincia*; ut ſcribunt ipſi in epiſtola ad Theodorum: hoc eſt apud Imperatorem a Monothelitis Africani Catholici delati fuerant, quaſi Gregorio faverent. Quamobrem epiſtolas ſuas ad Imperatorem & Paullum reddendas Pontifici Summo miſerunt. Nemini porro dubium eſſe poteſt, quin Theodorus ſtatim litteras Africanorum &

ad

Digitized by Google

ad Imperatorem, & ad Paullum perferendas curaverit, ſuaſque illis hortationes & obſecrationes addiderit; quarum Paullus pertæſus, in ſua ad Theodorum epiſtola mox referenda, qua hæreſim aperte prædicat, conqueſtus eſt, Theodorum nimis multis caput ſibi obtudiſſe.

VIII. Anno DCXXXXVII. Theodorus Pontifex Summus de Pyrrhi relapſu jam certior factus Concilium Romæ coegit, quo Pyrrhum anathemate perculit: *Sanctiſſimus Theodorus Papa*, ſcribit Auctor ejus Vitæ, *convocans univerſos Sacerdotes & Clerum in Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis, condemnavit Pyrrhum ſub vinculo anathematis, juſtam mercedem ac retributionem propriæ tranſgreſſionis, Canonicam pœnam ſive depoſitionem decernens*. Eadem narrat Sanctus Martinus in Secretario primo Concilii Lateranenſis. Etiam Libelli Synodici Scriptor, atque Theophanes Synodum a Theodoro coactam ad Pyrrhum damnandum memorant. Sed valde mirum quiddam addit uterque: Sanctum Theodorum ſcilicet, *Divino calice poſtulato, ex tremendo ac vivifico Sanguine Chriſti, atramento affundentem, propria manu depoſitionem Pyrrhi, & eorum, qui cum ipſo communicarent, exaraſſe*: quod in Libello Synodico ſcriptum eſt, atque a Theophane iiſdem fere verbis notatum.

IX. Eodem fere tempore *Theodorus Papa ſcripſit Paullo Patriarchæ Regiæ Civitatis tam rogans, quam regulariter increpans, nec non per Apocriſiarios pro hoc maxime deſtinatos præſentialiter admonens & conteſtans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam Fidem Catholicæ Eccleſiæ remearet. Et neque rogantes, neque increpantes potuerunt eum a ſuo conamine quoquo modo revocare*: ut narrat Auctor Vitæ Theodori; eademque

 ha-

habet Sanctus Martinus in Secretario primo Concilii Lateranenſis. Epiſtola, quam ad Paullum Theodorus miſit, intercidit; ſed in Secretario quarto ejuſdem Concilii exſtat reſponſum Paulli ad Theodorum; quo illi ſignificat, ægre tuliſſe ſe, quod non ſemel objurgatus fuerit; & Pontificis Summi objurgationes detractiones appellat: *Nec detrahentibus*, reſcripſit Paullus ad Theodorum, *bonum eſt detrahere, aut palo, ſecundum vulgatam fabulam, excutere palum. Propter hoc & verborum ſupportavimus colaphos*: addit deinde, iccirco Theodoro antea ſe non reſpondiſſe, *ne ſcriptis veſtris reciprocata reſpondentibus, injuriæ fomitem excitemus, & puſillanimitate judicemur*. Tum Apocriſiarios ad ſe miſſos memorat: *Directis in præſenti a Beatitudine Fraternitatis veſtræ Apocriſiariis, qui poſt multas factas inter nos de Eccleſiaſtica requiſitione diſſonantes ſermocinationes, in finem ad hoc pervenerunt, admonentes nos atque adhortantes interpretari unius Chriſti veri Dei noſtri voluntatis intellectum, atque hujuſmodi interpretationem deſtinari veſtræ Sanctiſſimæ Venerationi &c.* Demum Monothelitarum errorem aperte profitetur, hoc eſt unam eſſe in Chriſto voluntatem, qua de re multa eſſe, dicit Sanctorum Patrum teſtimonia, *quibus*, pergit, *concordantes & conſonantes facti ſunt piæ memoriæ Sergius & Honorius*; litteras ſcilicet Sergii ad Honorium, & Honorii ad Sergium reſponſum ſignificat. Hac accepta epiſtola, Theodorus cum jam intelligeret, Paullum obſirmato in ſua hæreſi animo eſſe, illum depoſuit. Profecto Vitæ Theodori Scriptor, poſtquam narravit, Apocriſiarios nequicquam ad Paullum miſſos, nihilque omnino apud illum profeciſſe, ſtatim ſubjunxit: *Propter quod ab Apoſtolica*

Sede

Digitized by Google

Sede ipſe Paullus *depoſitionis ultione percuſſus eſt* : quæ ſunt ipſa Sancti Martini verba in Secretario primo Concilii Lateranenſis. Monachi Græci quoque in Libello eidem Sancto Martino oblato Paullum a Theodoro depoſitum fuiſſe teſtificati ſunt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IV.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCXXXXVIII. uſque ad annum DCLVII.

I. ANno DCXXXXVIII. *Typus* prodiit; quemadmodum Sanctus Maximus in Collatione cum Principibus in Secretario memoravit: *Typus*, inquit ille, *nuper*, *id eſt per ſextam Indictionem eſt expoſitus*: & in Concilio Lateranenſi habito anno inſequenti Theophylactus dixit: *Exemplar Typi nuper*, *id eſt tranſacto anno expoſiti præ manibus habeo*. Erat autem *Typus* formula ſive Decretum, quo, pacis conciliandæ nomine, vetabantur omnes tam unam quam duas dicere & confiteri voluntates & operationes in Chriſto; ita ut & hæreſim & ſimul una Catholicam Fidem *Typus* rejiceret. Proinde in Secretario quarto Concilii Lateranenſis, ubi *Typi* hujus exemplum refertur, iccirco reprobatur, quod *duas naturales voluntates & operationes Divinam & humanam*, *quæ a Sanctis Patribus in ipſo Chriſto Deo vero & Salvatore noſtro pie prædicantur*, *cum una voluntate & operatione*, *quæ ab hæreticis impie in eo veneratur*, *pariter denegaret*. Atque ut auctoritatem aliquam *Typus* iſte habere videretur; Paullus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui ejus auctor fuit, Imperatori Conſtanti perſuaſit, ut *Typum* ſuo ipſe nomine ederet: quod teſtificati ſunt Mo-

nachi

Digitized by Google

nachi Græci in ſuo Libello Sancto Martino oblato in Secretario ſecundo Concilii Lateranenſis ; in quo ſcriptum eſt , *Typum* , qui Conſtantis Imperatoris nomen præfert, *ex ſubreptione* , *non ex ſtudio* , *aut mente Imperatoris*, *ſed ſuaſione importuna* , *& falſiloquio Paulli* factum fuiſſe. Unde cum in eodem Concilio *Typus* legeretur , Sanctus Martinus dixit , *compoſitum fuiſſe perſuaſione Paulli* : & Sancta Synodus poſt *Typi* lectionem dixit , *Paullum ſuaſiſſe Typum fieri* : & in Canone decimo octavo , quo *Typus* damnatus fuit , *ſcelerofus Typus* dicitur , *qui ex ſuaſione Paulli nuper factus eſt a Sereniſſimo Principe Conſtantino Imperatore* , Conſtante nimirum , qui & Conſtantinus fuit appellatus.

II. Anno DCXXXXIX. die decima tertia Maii Theodorus Pontifex Summus obiit : eodemque anno die quinta menſis Julii Sanctus Martinus in ejus locum fuit ordinatus ; ad quem Conſtans Imperator Gregorium quemdam miſit filium Photini , ut ſi fieri poſſet, Martinum induceret ad *Typum* ſuſcipiendum . Rem narrat Sanctus Maximus in ſua Collatione cum Judicibus : *Dominus meus Gregorius* , inquit , *dignatus eſt venire ad cellulam ſervi veſtri* , *dicens* : *Dominator noſter* , ſcilicet Conſtans Imperator , *ſolicitudinem habens Sanctarum Dei Eccleſiarum* , *juſſionem fecit ad divinitus honoratum Papam* , *miſſa etiam oblatione ad Sanctum Petrum* , *hortatus eſt eum* , *quo ſe Præſuli Conſtantinopolitano uniret ſub Typo* . Collationem hanc cum Judicibus Conſtantinopoli anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto Sanctus Maximus habuit , antequam Sanctus Martinus obiret , ut ex ipſa videre licet : rem vero jam geſtam narrat , priuſquam a Sancto Martino *Typus* damnaretur . Nam neque Imperatori umquam veniſſet in mentem , ut cura-

ret

Digitized by Google

ret *Typum* a Sancto Martino ſuſcipiendum, poſtquam illum damnaſſet; & Sanctus Maximus *Typi* damnationem, ſi qua tum facta fuiſſet, memoraſſet, ut ſpem omnem Gregorio illi ab Imperatore miſſo præcideret. Gregorius igitur legatus miſſus fuit vel anno ſexcenteſimo quadrageſimo octavo ad Theodorum, vel hoc anno ad Sanctum Martinum. Verum non fit veriſimile, a Theodoro, qui *Ecthesim* damnaverat, Pyrrhum anathematizaverat, & Paullum depoſuerat, Imperatorem poſtulaſſe, ut *Typum* reciperet. Illud probabilius eſt, ſtatim ac Sanctus Martinus Pontifex Summus fuit renunciatus, Imperatorem ab illo, cujus nondum ingenium noverat, petiviſſe, ut *Typum* ſuſciperet. Sed tantum abfuit, ut Imperatori Sanctus Martinus aures præberet; ut immo hoc ipſo anno ſexcenteſimo quadrageſimo nono, & primo Pontificatus ſui, Lateranenſe Concilium, cui Epiſcopi centum & quinquaginta interfuerunt, coegerit; cujus nos Concilii ſæpe mentionem fecimus. Inchoatum fuit die quinta Octobris, abſolutum vero die poſtrema menſis ejuſdem; ut ex Secretarii primi, & quinti, quod ultimum fuit, inſcriptione videre licet. Conſtat enim quinque Secretariis, ſive Seſſionibus, vel Actionibus, aut Conſultationibus totidem diebus habitis: Canones inſuper viginti in eo ſanciti fuerunt. Quoniam vero Seſſiones in Secretario habitæ ſunt, hoc eſt in ædicula, quam nos hodie vulgo *Sacriſtiam* appellamus; iccirco Seſſiones ipſæ Secretaria dicta. Hoc Concilio Catholica Fides fuit expoſita, & Monothelitarum hæreſis damnata, ejuſque hæreſis auctores & propugnatores: nominatim vero Theodorus Pharanitanus Epiſcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius Conſtantinopolitanus, ejuſque ſucceſſores Pyrrhus & Paullus cum ſcriptis omnibus ad

hanc

Digitized by Google

hanc Monothelitarum hæreſim confirmandam editis : ſeorſum vero *Ecthesi*, atque *Typo* anathema dictum. Poſt Concilium Sanctus Martinus encyclicam epiſtolam ad omnes Fideles ſcripſit de hæreſi Monothelitarum damnata. Scripſit etiam ad Imperatorem Conſtantem, Actaque Synodi latina cum græca interpretatione ad illum miſit, eumdem rogans atque obſecrans, ut Catholicam Fidem teneri vellet. Eadem Synodi Acta miſit Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, Antiochenæ, Carthaginenſi, Johanni Epiſcopo Philadelphiæ, & Amando Epiſcopo Trajectenſi, ut ubique cito divulgarentur.

III. Anno DCLIII. Cum Conſtans Imperator Sancto Martino Pontifici Summo, propterea quod Monothelitas anathematizaverat, *Typum*que damnaverat, inſidias antea per infamem Olympium fruſtra comparaſſet, vanique omnes ejus conatus fuiſſent; in illum tamdem ſævire cepit. Miſſo namque Romam Calliopa Exarco cum exercitu, ab Eccleſia Conſtantiniana Sanctus Martinus educitur, & in Palatium detruditur die decima ſeptima menſis Junii. Duobus poſt diebus in navim imponitur, & Calendis Julii Meſſinam pervenit; mox Calabriam; deinde plurimas Inſulas tribus menſibus pertranſiens, annum in Inſula Naxia commoratus fuit. Quæ omnia ipſemet narrat in ſua epiſtola ad Theodorum.

IV. Anno DCLIV. Die decima ſeptima Septembris Conſtantinopolim Sanctus Martinus pervenit; ut in Relatione diſcipuli cujuſdam Sancti Martini ſcriptum eſt. Statim in carcerem conjectus fuit, e quo poſt dies tres & nonaginta eductus, hoc eſt die decima nona Decembris, ante *Sacellarium* judicandus ſiſtitur. Quot illa die contumeliis, verberibus, plagis fuerit affectus, quam crudeliter exceptus, ex eadem Relatione cognoſci po-

teſt : eademque die in carcerem rurſus contruditur . *Sequenti vero die abiens Imperator in Patriarchium viſendi gratia Paullum Patriarcham (proximus enim erat morti) narravit ei , quæ conſummata ſunt in Sanctiſſimum Virum. Ingemiſcens vero Paullus , & converſus ad parietem dixit: Hei mihi ! & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum eſt . Percontatus autem ab Imperatore , quamobrem hoc dixerit , reſpondit : Numquidnam , domine , non eſt miſerabile talia pati Pontificem ? Tunc attentius adjuravit Imperatorem ſufficere ei , in his quæ paſſus eſt , nihilque amplius ſuſtinere . Interea defuncto Paullo &c.* Quæ ſcribit diſcipulus ille Sancti Martini in ſua Relatione . Ex quibus cognoſcere poſſumus tempus , quo Paullus , qui anno ſexcenteſimo quadrageſimo primo menſe Octobri Conſtantinopolitanam Sedem invaſerat , quique jam a Theodoro depoſitus fuerat , & a Sancto Martino in Concilio Lateranenſi anathematizatus , extinctus eſt : nimirum exeunte menſe Decembri anni hujus . Nam , cum , qui poſt Paulli mortem ſcripſit , dixerit , Paullum die vigeſima Decembris fuiſſe *morti proximum* ; apparet , paullo poſt illum vivere deſiiſſe . Scriptor enim, qui Paullo ſuperſtes fuit , non illum dixiſſet *morti proximum* , niſi paucis poſt diebus e vita ceſſiſſet.

V. An hoc anno ſexcenteſimo quinquageſimo quarto, an vero anno inſequenti Eugenius I. Sancto Martino in exilium acto ſuffectus fuerit , incertum eſt . Ego tempus ipſum ordinationis Eugenii I. non definiam , ſed , quæ hac in re certa ſunt , duo ſtatuam . Quorum alterum eſt : Eugenium non fuiſſe Sancto Martino ſuffectum , ſtatim ac ille vi Roma abductus fuit : Alterum vero : Eugenium , antequam Sanctus Martinus vita functus eſſet , Pontificem Summum conſecratum fuiſſe .

Utrum-

Digitized by Google

Utrumque ipſius Sancti Martini teſtimonio confirmo. Et primum quidem illiuſmet epiſtola ad Theodorum, quam Conſtantinopoli, dum in carcere eſſet, ſcripſit; ut ex ipſa apparet: ac proinde poſt diem decimam ſeptimam menſis Septembris anni hujus ſexcenteſimi quinquageſimi quarti, cum ea die Conſtantinopolim ingreſſus fuerit: *Juſſio*, ſcribit Sanctus Martinus, *a Calliopa porrecta eſt Presbyteris, & Diaconibus, in qua humilitatis meæ ejectio continebatur, quod irregulariter & ſine lege Epiſcopatum ſubripuiſſem, & non eſſem in Apoſtolica Sede dignus inſtitui, ſed omnimodis in hanc Regiam Urbem*, Conſtantinopolim ſcilicet, *tranſmitti, ſubrogato in loco meo Epiſcopo: quod necdum aliquando factum eſt, & ſpero, quod nec aliquando fieri habet*. Igitur, ſaltem uſque ad diem decimam ſeptimam Septembris anni hujus, nemo in Sancti Martini locum ſuffectus fuerat: Niſi ſi quis dixerit, Clerum ita Sanctum Martinum de Eccleſia optime meritum deſpexiſſe, ut, eo invito & ignorante, alium in ejus locum ſuffecerit, neminemque unum inventum eſſe, qui id Sancto Martino nuntiaret. Sed, dum ipſe viveret tamen, Eugenius I. fuit ordinatus. Et hoc eſt alterum, quod diſcimus ex ipſius Sancti Martini epiſtola ad amicum ſuum data, dum in Cherſoneſo eſſet, quo deportatus fuit Idibus Maii anni inſequentis: *Deus*, ſcripſit Sanctus Pontifex, *qui omnes vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, per interceſſionem Sancti Petri ſtabiliat corda eorum* (de Clericis Eccleſiæ Romanæ loquitur, ut ex tota epiſtola apparet) *in orthodoxa Fide, & confirmet contra omnem hæreticum, & adverſariam Eccleſiæ noſtræ perſonam, & immobiles cuſtodiat, præcipue Paſtorem, qui eis nunc præeſſe monſtratur*. Eo itaque temporis ſpatio, quod inter Septem-

Digitized by Google

brem anni hujus, & Majum anni ſequentis intercedit, Eugenius I. in Sancti Martini locum fuit renuntiatus: nimirum vel anno hoc exeunte, vel, quod veriſimilius eſt, anno proximo ineunte. Nam etſi Conſtans Imperator ſtatim ac in Sanctum Martinum manus injiciendas mandavit, juſſionem jam dederit, ut alius in ejus locum ordinaretur; Clerus Romanus tamen non illi continuo morem geſſit, ut ex Sancti Martini epiſtola priore intelligimus; ſed tamdiu cunctatus ac tergiverſatus fuit, donec Sanctus Pontifex, ſpe omni Romam redeundi amiſſa, ipſe ſe Pontificatu abdicaverit, ut alium in locum ſuum, ne quid Eccleſia Romana ab Imperatore mali pateretur, Clerus ſufficeret: atque tum demum Eugenius I. Sancto Martino, vivo licet, rite ſuffectus fuit.

VI. Anno DCLV. Sanctus Martinus Cherſonem fuit deportatus, quo pervenit Idibus Maii, ut ipſemet ad amicum Conſtantinopolim ſcripſit: *Poſtquam*, inquit, *egreſſi ſumus a Conſtantinopoli, navigantes Sancta Feria quinta Cœnæ Domini, pertranſivimus Pharum, per diverſa loca tranſmeantes Idibus Maii, & Cherſonem pervenimus*. Hoc ipſo anno die decima ſexta Septembris in eodem exilio Cherſonæ Sanctus Martyr ex hac ad æternam vitam migravit; ut Relationis Scriptor ille prodidit: *Obiit*, ſcribit ille, *Sanctiſſimus ter Beatus Apoſtolicus Martinus Papa, Confeſſor & Martyr Chriſti in eadem exulatione Cherſonæ menſe Septembrio, die ſexta decima, Indictione quartadecima*. Idemque tempus obitus Sancti Martini notatur a Theodoſio ac Theodoro in Hypomneſtico.

VII. Paullo Sedis Conſtantinopolitanæ incubatore, anno ſuperiore exeunte, ut obſervavimus, extincto, Pyrrhus

rhus fuit reſtitutus: *Quamquam Deus ſtatim*, ut narrat diſcipulus ille Sancti Martini in ſua Relatione, *juſto judicio deleverit eum de libro viventium*. Nimirum hoc anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto ineunte Pyrrhus iterum Sedem Conſtantinopolitanam occupavit, eamque tenuit *menſibus quatuor*, *diebus viginti tribus*; ut apud Theophanem atque Nicephorum ſcriptum eſt: ſcilicet vita ceſſit menſe Majo exeunte, vel Junio ineunte. Pyrrho Petrus ſufficitur & ipſe Monothelita; quod vel ex eo cognoſcere poſſumus, quod *novus Præſul*, ut ſcribit Relationis Auctor, *Pyrrhum & prædeceſſores ejus*, *Beatos Patres & Sanctos vocavit*.

VIII. Hoc ipſo anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto Sanctus Maximus Abbas Catholicæ Fidei adverſus Monothelitarum hæreſim propugnator egregius Conſtantinopolim cum diſcipulo ſuo Anaſtaſio perductus, ante *Sacellarium*, alioſque viros Principes judicandus ſiſtitur. Judicium hoc vivo, ſed exule Sancto Martino Pontifice Summo habitum fuiſſe apparet. Nam cum in eo Demoſthenes dixiſſet, Sanctum Martinum jam fuiſſe depoſitum, ei reſpondit Sanctus Maximus: *Non depoſitus eſt*, *ſed expulſus*. Pyrrhus tamen jam obierat; & Petrus tunc erat Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Quod intelligimus & ex iis, quæ tum a Sancto Maximo, tum ab ejus diſcipulo Anaſtaſio Judices illi de Pyrrho ſciſcitabantur, & ex eo, quod Clericus quidam Sancto Maximo tunc exprobravit: *Retribuit tibi Deus*, *quæcumque feciſti Beato Pyrrho*. Noverat enim a Petro Conſtantinopolitano Epiſcopo Pyrrhum Beatis fuiſſe annumeratum. Patriarchæ autem illi duo, qui taciti præſentes in Collatione adfuiſſe dicuntur, non Paullus & Pyrrhus fuerunt, ut nonnulli opinantur, ſed Petrus Con-

ſtan-

Digitized by Google

ſtantinopolitanus cum Antiocheno vel Alexandrino Patriarcha, ambo jam depoſiti a Sancto Martino poſt Concilium ſuum Lateranenſe; ut ex ipſius Sancti Martini epiſtola ad Eccleſiam Jeroſolymitanam, & Antiochenam cognoſcimus. Nam præterquamquod Pyrrhus, ut ex Collatione diſcimus, jam obierat, atque adeo ante Pyrrhum Paullus; non ſit præterea veriſimile, Pyrrhum ante ſuam reſtitutionem, & dum Paullus in Sede Conſtantinopolitana eſſet, Patriarchæ nomine fuiſſe appellatum; ne duo ſimul Patriarchæ Conſtantinopolitani eſſe viderentur. Ex quibus perſpicuum ſit, judicium hoc de Sancto Maximo habitum fuiſſe hoc anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto poſt menſem Majum & ante Octobrem; nimirum Pyrrho extincto, & Sancto Martino etiam tum ſuperſtite. Poſt judicium Sanctus Maximus Bizyam, Anaſtaſius vero ejus diſcipulus Perberim in exilium miſſi.

IX. Hoc eodem anno a Petro Conſtantinopolitano Epiſcopo ad Eugenium Pontificem Summum miſſam fuiſſe epiſtolam illam Synodicam, cujus meminit Scriptor in Eugenii I. Vita, veriſimile eſt: *Hujus temporibus*, Eugenii I. ſcilicet, *Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus direxit Synodicam epiſtolam ad Sedem Apoſtolicam, juxta conſuetudinem priorem, omnino obſcuriſſimam; non autem declarans operationes & voluntates in Domino noſtro Jeſu Chriſto*. Nimirum Petrus iſte Monothelita hæreſim ſuam, quod & Sergius primum, & Paullus deinde fecerat, ſtuduit diſſimulare, ut epiſtolam aliquam ab Eugenio I. eliceret, qua deinceps ad hæreſis ſuæ confirmationem abuti poſſet. Quod illi tamen ex ſententia non ſucceſſit. Nam illa Petri Synodica *minime eſt ſuſcepta*, ut idem Auctor Vitæ Eugenii I. ſcribit; *ſed cum majore ſtre-*

Digitized by Google

ſtrepitu a Sancta Dei Eccleſia projecta. Cum autem hoc anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto & Eugenius I. Pontifex Summus ordinatus fuerit, & Petrus Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuiſſet renuntiatus, veriſimile fit, hoc ipſo anno epiſtolam ad Eugenium I. Petrum miſiſſe.

X. Anno DCLVI. Petrus Conſtantinopolitanus Theodoſium Epiſcopum Ceſareæ Bithyniæ, Conſtans Imperator vero Paullum ac Theodoſium Conſules Bizyam ad Sanctum Maximum miſerunt; quo illi pervenere die vigeſima quarta Auguſti, ut ex Collatione apparet. Theodoſius Sanctum Maximum ita allocutus fuit: *Rogat Imperator, & Patriarcha per nos, cognoſcere a te, qua pro cauſſa non communices throno Conſtantinopolitano?* Cui reſpondit Sanctus Maximus, hoc in cauſſa eſſe: Quod Eccleſia Conſtantinopolitana contra Catholicam Fidem quædam ſuſceperit, firmaverit, atque etiam conſtituerit. Deinceps vero de *Typo* multus habitus eſt ſermo, & cum Theodoſius *Typum* per diſpenſationem factum fuiſſe diceret, ſubjecit Sanctus Maximus, non poſſe admitti diſpenſationem, quæ Catholicam Fidem deſtruat. Deinde Theodoſius protulit teſtimonia quædam Sanctorum Patrum nominibus inſcripta, a Petro Patriarcha ſibi tradita, quibus una Chriſti operatio definiebatur: quæ cum legerentur, Sanctus Maximus illi exprobravit: Non Sanctorum Patrum, ſed Apollinaris, atque Neſtorii hæreticorum verba illa eſſe. Paucis poſt diebus Sanctus Maximus *adductus eſt Perberis in cuſtodiam, qua continuis vexationibus tenebatur*; ut ſcriptum eſt in relatione Collationis hujus. Et hoc fuit exilium ſecundum Sancti Maximi.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT V.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCLVII. ad annum DCLXXII.

I. ANno DCLVII. Eugenius I. Pontifex Summus obiit, cui Sanctus Vitalianus poſt menſes fere duos ſucceſſit. Ad hunc annum pertinere videtur epiſtola Petri Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Sanctum Vitalianum data. Nam veriſimile eſt, Petrum, ſtatim ac audivit, Sanctum Vitalianum loco Eugenii Romanam Sedem tenere, ad illum epiſtolam miſiſſe. Ea lecta fuit in Sexta Synodo Actione decima tertia; ſed in Acta Synodi non fuit relata; prima dumtaxat verba fuerunt exſcripta, quæ hujuſmodi ſunt: *Spiritalem nobis lætitiam peperit Littera veſtræ unanimis & ſanctæ Fraternitatis*: ex quibus intelligimus, & Sanctum Vitalianum Pontificem Summum ad Petrum antea ſcripſiſſe; nimirum illum hortando ac monendo, ut ab impia ſententia diſcederet: & Petrum itidem, quemadmodum & ad Eugenium fecerat, conatum fuiſſe hac ſua epiſtola Sancto Vitaliano imponere, eumque ad partes ſuas trahere, cum Sanctum Vitalianum *unanimem* appellet; quaſi is eſſet ejuſdem cum Petro ſententiæ. Dum autem in Sexta Synodo *relegeretur eadem epiſtola Petri ad Vitalianum, habens diverſa Patrum teſtimonia; hi qui locum gerebant Agathonis Sanctiſſimi Pa-*

pæ

Digitized by Google

pæ Romani *dixerunt : Innoteſcimus veſtræ gloriæ , quod paterna teſtimonia , quæ continentur in præſenti , quæ nunc relegitur Petri epiſtola , circumciſe deflorata ſunt ab eodem Petro ex hoc , quod oſtendere voluiſſet ſuam ſuper una voluntate , & una operatione intentionem* : quæ legimus in eadem Actione decima tertia Sextæ Synodi . Sanctus Agatho quoque hanc Petri Conſtantinopolitani ad Sanctum Vitalianum epiſtolam memorat in ſuis littteris ad Imperatorem Conſtantem : *Petrus* , ſcribit Sanctus Pontifex , *ad Sanctæ memoriæ Vitalianum Papam ſcribens , & unam duas voluntates , & unam duas operationes in diſpenſatione Incarnationis magni Dei , & Salvatoris noſtri ſapere ſe profitetur* .

II. Anno DCLXII. Sanctus Maximus Conſtantinopolim ducitur cum Sancto Anaſtaſio diſcipulo ſuo ; eodemque ductus fuerat Sanctus Anaſtaſius alter Presbyter & Apocriſiarius Romanus , duobus & ipſe antea exiliis affectus . Adverſus Sanctos tres iſtos viros ſententia hujuſmodi fertur ab Imperatore : *Sancimus , ut ſtatim aſſumptis , qui nobis præſto eſt Clariſſimus Præfectus , in ſuum ampliſſimi dominatus Prætorium , Maximo , ac utroque Anaſtaſio , eorum flagris dorſa cædat ; veſtræque Maximi , amborumque Anaſtaſiorum procacitatis organum (veſtram ſcilicet blaſphemam linguam) ab imo intus abſcindat ; tumque etiam , quæ blaſphemæ veſtræ rationi mentique miniſtravit , dexteram ferro auferat : ac ubi ſic execrandis membris mutilos pariter circumducens , Urbis Auguſtæ regiones duodecim totas luſtraverit , ſempiterno exilio , jugique præterea cuſtodiæ tradat : ut deinceps , ac quamdiu vita ſuperſtes erit , blaſphemiæ plenos errores veſtros lugeatis , verſa ſcilicet in veſtra capita , quam in nos maledictionem , diraſque excogitatis . Tulit itaque Præfectus , aliiſque excru-*

Digitized by Google

ciatis tormentis, *membra amputavit* : *totaque Urbe propudioſa circumductione traducens Lazicem relegavit* . Martyrii tempus trium horum fortium Fidei Catholicæ adverſus Monotheliticam hæreſim Athletarum hoc anno conſignavimus ; propterea quod cum ſtatim poſt martyrium Lazicem , quod fuit exilium tertium ac poſtremum , perducti fuerint ; eo illos perveniſſe *ſexto Idus Junias quintæ Indictionis* , hoc eſt die octava Junii anni hujus , cognoſcimus ex epiſtola Sancti Anaſtaſii Apocriſiarii ad Theodoſium Presbyterum Gangrenſem ſcripta . In hoc tertio exilio Lazicæ Sanctus Maximus obiit tertia decima die Auguſti hujus anni , ut Sanctus Anaſtaſius idem ſcribit , atque etiam narrant Theodoſius ac Theodorus fratres in Hypomneſtico . Sanctus Anaſtaſius autem Sancti Maximi diſcipulus paucis ante diebus ad Cœlum migraverat , die ſcilicet vigeſima quarta menſis Julii . Demum Sanctus Anaſtaſius Presbyter & Apocriſiarius Romanus animam Deo reddidit poſt annos quatuor ; ut ſuo loco obſervabimus .

III. Anno DCLXIII. Conſtans Imperator Conſtantinopoli diſceſſit , & in Italiam venit . Cauſſæ , ob quas Conſtantinopolim reliquerit , plures a Scriptoribus afferuntur . Duas potiſſimum Cedrenus memorat : alteram , quod , cum Theodoſium fratrem , quem Diaconum conſecrandum curaverat , jam trucidaſſet , ille Diaconi veſte indutus per quietem crebro Conſtanti appareret , & poculum ſanguine plenum porrigens , diceret : *Bibe frater*: unde angore conſcientiæ , tamquam furiis aſſiduis facinoris vindicibus , agitatus Conſtantinopoli non tam diſceſſiſſe , quam aufugiſſe viſus ſit . Cauſſa altera fuit : quod ob hæreſim Monotheliticam , quam pertinaciter tuebatur , civibus erat inviſus . Addit Zonaras , illum maxime

xime

Digitized by Google

xime propter Sancti Martini Pontificis Summi, & Sancti Maximi carnificinam in populi odium veniſſe. Itaque relicta Conſtantinopoli petiit *Athenas, exinde Tarentum, inde Beneventum, & Neapolim per Indictionem ſextam; poſtmodum venit Romam die quinta menſis Julii Indictione ſupradicta*: ut narrat Scriptor in Vita Sancti Vitaliani. Atqui cum Conſtans Romam cogitaverit, & Sanctus Vitalianus Pontifex Summus illum ſuſceperit, fit veriſimile, Catholicam Fidei profeſſionem Pontifici Summo antea miſiſſe, & quam hæreticam mentem tenebat, orthodoxam ſimulaſſe; ut Romanorum odium in ſe jam concitatum mitigaret. Dies duodecim Romæ Conſtans Imperator manſit; deinceps *reverſus eſt Neapolim*, poſtea *Rhegium perrexit*; tamdemque *ingreſſus Siciliam per Indictionem ſeptimam habitavit in Civitate Syracuſana, & talem afflictionem poſuit in populo, ſeu habitantibus vel poſſeſſoribus Provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ; ut alicui ſpes vitæ non remaneret*: ut Scriptor idem Vitæ Sancti Vitaliani memorat.

IV. Anno DCLXVI. Petrus Epiſcopus Conſtantinopolitanus Monothelita extinctus eſt. Cum enim Sedem anno ſexcenteſimo quinquageſimo quinto fere medio ceperit, & annis duodecim eam habuerit, ut Zonaras tradit, atque in Theophanis tabulis ſcriptum eſt; uſque ad hunc annum vixiſſe oportet. At cum Sanctus Tharaſius in Actione prima Synodi Septimæ dixerit: *A Petro uſque ad Sextam Synodum anni plus non tranſierunt, quam quindecim*: & Sexta Synodus inchoata fuerit anno ſexcenteſimo octogeſimo exeunte: intelligimus annum duodecimum Epiſcopatus Petri inchoatum dumtaxat fuiſſe, non abſolutum; ac proinde hoc ipſo anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto vita ceſſiſſe. Petro Thomas ſucceſſit,

Digitized by Google

Thomæ Johannes, Johanni Conſtantinus, Conſtantino Theodorus, Theodoro Georgius; qui Sedem Conſtantinopolitanam tenebat, cum Sexta Synodus habita fuit. Hoc ipſo anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, quinto Idus Octobris Sanctus Anaſtaſius Presbyter & Apocriſiarius Romanus Sancti Maximi ſocius Laziceæ in tertio exilio diem ſuum obiit: *qui a ſexta Indictione præteriti Cycli*, hoc eſt ab anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo; quo Indictio ſexta Calendis Septembris incepit, *uſque ad decimam Indictionem*, nimirum ad annum hunc, quo itidem Calendis Septembris Indictio decima initium ſumpſit, *in omnibus tribus exiliis ſuis, traductionibus diverſis affectus, tribulationibuſque ac neceſſitatibus, & anguſtiis non mediocribus, nec modicis, permanſit annis viginti*, propter egregiam ſcilicet Catholicæ Fidei confeſſionem adverſus Monothelitarum hæreſim: ut ſcribunt fratres in Hypomneſtico.

V. Anno DCLXVIII. Conſtans Imperator, cum in Sicilia jam ab anno ſexcenteſimo ſexageſimo tertio exeunte moraretur, iniquitatum ſuarum pœnas etiam in hac vita tamdem luit. Nam *in balneo occiſus eſt*; ut ſcribit Auctor in Sancti Vitaliani Pontificis Summi Vita. Id vero Indictione duodecima contigiſſe Pagius oſtendit: quinimmo ex Actione prima & poſtrema Sextæ Synodi aperte demonſtrat, poſt diem decimam ſextam Septembris, & ante diem ſeptimam Novembris Conſtantem trucidatum fuiſſe. Conſtantinus filius *Pogonatus* dictus illi ſucceſſit.

VI. Anno DCLXIX. ineunte Thomas Epiſcopus Conſtantinopolitanus vita functus eſt. Nam cum Epiſcopatum ceperit anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto fere exeunte poſt Petri mortem; atque in Epiſcopatu vixerit annos

Digitized by Google

annos tres, ut in Tabulis Theophanis ſcriptum exſtat; ſed tertium tamen annum non abſolverit, ut Nicephorus & Zonaras tradunt, qui Thomæ annos duos & menſes ſeptem dumtaxat tribuunt; conficitur, hoc anno ineunte Thomam obiiſſe. In ejus locum Johannes ſufficitur, qui vixit annos quinque & menſes novem, ut Nicephorus in Chronico ſcribit: Johanni vero Conſtantinus fuit ſuffectus, qui annum unum dumtaxat & menſes octo in Epiſcopatu tranſegit. Tres iſtos Epiſcopos Thomam, Johannem, atque Conſtantinum, qui ſibi invicem ſucceſſerunt, orthodoxos fuiſſe quidam arbitrati ſunt: propterea quod in Sexta Synodo Actione decima tertia, cum quæreretur, an tres Epiſcopi illi Conſtantinopolitani, qui poſt Petrum fuerunt, epiſtolas aliquas ſcripſerint, quæ Monotheliſmum olerent, Georgius Diaconus & Chartophylax Synodica Thomæ, Johannis, & Conſtantini Concilii Patribus exhibuit. Epiſtola Synodica Thomæ ad Vitalianum Pontificem Summum ſcripta erat; ſed quam tamen ad illum mittere non potuit, inquit Georgius ille Chartophylax, *propter Sarracenorum incurſum aſſidue imminentem per biennium, quo geſſit Epiſcopatum*. Johannis vero & Conſtantini Synodicæ ita inſcriptæ erant: *Venerabili atque, Sanctiſſimo Conſacerdoti Macario*. Quibus Synodicis lectis, Sanctum Concilium dixit: *Auditum accipientes Synodicarum epiſtolarum, quæ ſcriptæ ſunt a Thoma, Johanne, & Conſtantino quondam Patriarchis hujus Regiæ Urbis, & nihil invenientes contrarium de orthodoxa Fide eos ſenſiſſe ſive ſcripſiſſe &c.* Deinde vero Georgio illi Chartophylaci a Patribus Sextæ Synodi hoc jusjurandum fuit delatum: *Quod omnibus modis perſcrutatus, nequaquam reperit libellos ſcriptos fuiſſe a quibuſdam, atque oblatos prædictis tribus Thomæ, Johanni, & Con-*

ſtan-

Digitized by Google

ſtantino unam voluntatem & unam operationem adſtruentes in domino noſtro Jeſu Chriſto. Jusjurandum illud ſibi delatum Georgius confidenter juravit. Tum Sanctum Concilium dixit: *Nos Sanctæ memoriæ tres viros, ideſt Thomam, Johannem, & Conſtantinum prævidimus in identitate manere, atque in Sacris Diptychis Sanctarum Eccleſiarum recitari; ut pote qui in omnibus immaculati, & irreprehenſibiles inventi ſunt circa rectam noſtram Chriſtianam Fidem*.

VII. Nolo ego Georgium illum Cartophylacem de perjurio poſtulare; quod nonnulli tamen fecerunt: ſed illud dico fieri potuiſſe, ut Georgii oculos ſcripta quædam Monothelitica trium illorum Epiſcoporum effugerint; quamvis Georgius totus oculeus eſſet, ut Honorii I. Pontificis Summi epiſtolam, quam ipſe numquam ſcripſerat, repererit. Neque id temere ſuſpicor. Nam Conſtantinus Imperator in epiſtola ad Donum Pontificem Summum hæc ſcripſit: *Dum ordinatus eſſet Theodorus Patriarcha hujus noſtræ Regiæ Urbis, ſuggeſſit noſtræ Serenitati, ſuſpectum ſe eſſe dirigere conſueta Synodica ad veſtram Paternam Beatitudinem, ne forſan non recipiantur; ſicut & ſub prædeceſſoribus ejus Patriarchis factum eſt*. Atqui proximi deceſſores Theodori fuerunt Conſtantinus, Johannes, atque Thomas, quorum Synodicas epiſtolas a Pontificibus Summis rejectas fuiſſe Conſtantinus Imperator ſignificat: quod profecto non aliam ob cauſſam fieri potuit, niſi quod illæ Monotheliſmum ſaperent. Nam Paulli Epiſcopi Conſtantinopolitani Synodicam Theodorus Pontifex Summus ſuſcepit; quod illa hæreſim ſuam Paullus diſſimulavit: Petri epiſtolam autem Eugenius I. reſpuerat; quod Monothelitica eſſet. Porro illi tres Thomas, Johannes, & Conſtantinus,

qui

Digitized by Google

qui poſt Petrum & ante Theodorum in Sede Conſtantinopolitana fuerunt, vel Synodicas ad Apoſtolicam Sedem miſere, vel non. Si primum: igitur Monotheliſmum illæ præferebant, cum Pontifices Summi illas rejecerint; quemadmodum Conſtantinus Imperator memorat. Sin autem Synodicas nullas Epiſcopi tres illi miſerunt, Monotheliſmi ſuſpicio neque tenuis in eoſdem cadit: præſertim cum Synodicas Johannes atque Conſtantinus ad Macarium miſerint, qui Monothelita erat. Præterquamquod Imperator non ſcripſiſſet, Synodicas deceſſorum Theodori non fuiſſe ab Apoſtolica Sede ſuſceptas, niſi illas illi miſiſſent. Scio Thomam excuſationem aliquam habere propter *Sarracenorum incurſum*: quam quidem ob cauſſam, ſi Georgio illi credere debemus, epiſtolam ad Sanctum Vitalianum Romanum Pontificem jam deſtinatam mittere non potuit. Valeat excuſatio illa pro Thoma. Sed Johanni atque Conſtantino quamnam excuſationem quæremus, cum neque Georgius ille Chartophylax illis ullam paraverit? An ne iſti duo quoque Synodicas ad Apoſtolicam Sedem mittere non potuerunt? Macario miſere tamen. Hanc præterea cauſſam Imperator Conſtantinus in ſuis ad Donum litteris attuliſſet. Sed ille contra ſcripſit: illorum nimirum Patriarcharum, qui Theodoro anteceſſerunt, Synodicas a Pontificibus Summis non fuiſſe receptas. Ab iis igitur Synodicæ miſſæ fuerunt, ſed ab Apoſtolica Sede minime receptæ; neque alia profecto de cauſſa, niſi quod Monotheliticæ eſſent. Itaque quemadmodum Sergium, Pyrrhum, Paullum, atque Petrum Conſtantinopolitanos Epiſcopos hæreticos Monothelitas certo fuiſſe cognoſcimus; ita Thomas, Johannes, atque Conſtantinus in maximam ejuſdem hæreſis ſuſpicionem veniunt;

niunt; quicquid Georgius ille Chartophylax Concilii Patribus perſuadere conatus fuerit, ut Epiſcopi iſti tres orthodoxi fuiſſe illis viderentur: ut ſi quis dixerit novem Conſtantinopolitanos Epiſcopos, qui ſibi invicem ſucceſſerunt, Sergium ſcilicet, Pyrrhum, Paullum, Petrum, Thomam deinde, Johannem, atque Conſtantinum, & poſt illos Theodorum, atque Georgium Monothelitas omnes fuiſſe, non mentietur. Ceterum quod quidam Thomam, atque Johannem iccirco Monothelitas fuiſſe arbitrati ſunt, quod ambo Sanctum Maximum Martyrem, ejuſque ſocios Catholicæ Fidei propugnatores inimice fuerint inſecuti, atque Imperatorem Conſtantinum judiceſque in Sanctos Viros inſtigaverint, ut in illos crudelius ſævirent, a vero longe aberrarunt: cum planum ſit, in Petrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui tum vivebat, hæc omnia cadere; Thomas autem Epiſcopatum cepit, poſtquam Sanctus Maximus jam ad Cœlum migraverat; Johannes vero poſt Thomam Epiſcopus factus fuit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VI.

Hæreſis Monothelitarum Hiſtoria ab anno DCLXXII. *uſque ad annum* DCLXXXI. *quo Sexta Synodus Œcumenica fuit abſoluta.*

I. Anno DCLXXII. die vigeſima ſeptima menſis Januarii ſepultus fuit Sanctus Vitalianus Pontifex Summus. Dies & menſis notatur a Scriptore Vitæ Sancti hujus Pontificis: *Sepultus eſt*, ſcribit ille, *ſub die ſexto Calendas Februarii*. Annum vero Pagius nos docet monumentis multis, & præcipue Chronico Hermanni Contracti, in quo ſcriptum eſt, Sanctum Vitalianum Indictione decima quinta, quæ hoc anno currebat, e vita exceſſiſſe. In ejus locum menſe Aprili Adeodatus Pontifex Summus fuit conſecratus.

II. Anno DCLXXVI. Adeodatus Pontifex Summus ex hac vita migravit die vigeſima ſexta menſis Junii; ut Scriptor ejus Vitæ narrat: *Sepultus eſt*, inquit, *ſub die ſexto Calendas Julias*: & die prima Novembris Donus in ejus locum conſecratur. Hoc item anno Conſtantinus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto Johanni ſucceſſerat, mortem oppetiit; cum in Epiſcopatu vixerit annum dumtaxat & menſes octo; ut Nicephorus in Chronico ſcribit. Conſtantino Theodorus certiſſimus Monothelita

Digitized by Google

fuit ſuffectus. Hic autem poſt ordinationem ſuam nullam Synodicam ad Pontificem Summum miſit; cum jam præſentiret fore, ut rejiceretur: cum neque deceſſorum ſuorum Synodicæ ab Apoſtolica Sede ſuſceptæ fuiſſent. Hortatoriam epiſtolam tamen ad Donum, qui tum Pontifex Summus erat, Theodorus ſcripſit; qua ſcilicet bonus ille vir Pontificem Summum adhortabatur, ut pacem cum Eccleſia Conſtantinopolitana habere vellet. Quod ex litteris Conſtantini Imperatoris ad Donum datis colligimus; *Dum ordinatus eſſet*, ſcribit Imperator, *Sanctiſſimus & Beatiſſimus Patriarcha hujus noſtræ Regiæ Urbis* (ignorabat ſcilicet Conſtantinus Monothelismum, neſciebatque Theodorum Monothelitam eſſe) *ſuggeſſit noſtræ Serenitati ſuſpectum ſe eſſe dirigere conſueta Synodica ad veſtram paternam Beatitudinem, ne forſan non recipiantur, ſicut & ſub prædeceſſoribus ejus Patriarchis factum eſt. Sed quia magis prævidit adhortatoriam epiſtolam facere ad veſtram paternam Beatitudinem, quam & direxit; ejus per omnia ſcientiam habet veſtra paterna Beatitudo; & non prævidimus per præſentem noſtram piam ſacram, de hujuſmodi epiſtola uti multiloquio*.

III. Anno DCLXXVIII. die undecima Aprilis Donus Pontifex Summus obiit; ut ejus Vitæ Scriptor narrat. Antequam moreretur tamen Conſtantinus Imperator epiſtolam ad illum miſerat de Sexta Synodo cogenda. Quod non ſolum ex epiſtola ipſa intelligimus, quæ ad Donum ſcripta eſt; ſed ex alia etiam Imperatoris epiſtola ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum data duobus fere poſt annis; in qua ipſe memorat, ſcripſiſſe jam ſe ad Donum, dum viveret; quamvis interim donec perferretur epiſtola, Dono mortuo, Sanctus Agatho, qui illi ſucceſſit, Imperatoris epiſtolam ſuſceperit. Igitur,

tur, ſi cum Donus viveret, Imperator ad illum de cogenda Sexta Synodo ſcripſit, Donus vero menſe Aprili anni hujus diem ſuum obiit, Imperatoris epiſtolam ante menſem Aprilem ſcriptam fuiſſe oportet. Quocirca mendoſa eſt nota hæc temporis, quæ epiſtolæ illi fuit appoſita *data pridie Idus Auguſti*: quæ præterea in græcis exemplaribus deſideratur. Poſt mortem Doni *ceſſavit Epiſcopatus menſes duos, dies quindecim*; ut in Doni Vita ſcriptum eſt. Quo fit, ut Sanctus Agatho, qui in Doni locum ſucceſſit, ordinatus fuerit die vigeſima ſeptima menſis Junii anni hujus ſexcenteſimi ſeptuageſimi octavi. Poſt ejus ordinationem Imperatoris litteræ, ad Donum jam ſcriptæ, Romam perlatæ fuerunt, & ab eodem Sancto Agathone ſuſceptæ; quemadmodum Scriptor ejus Vitæ narrat: *Hic*, inquit, *ſuſcepit Divalem juſſionem Conſtantini miſſam præceſſori ſuo Dono Papæ*. Hoc ipſo anno Theodorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus Monothelita, qui duobus ante annis in ea Eccleſia ſedere ceperat, ſe ipſe Epiſcopatu abdicavit; cui Georgius itidem Monothelita ſuffectus fuit. Nam cum Theophanes ſcribat, tertium annum Epiſcopatus Georgii fuiſſe illum, quo Sexta Synodus habita fuit; conficitur, hoc anno exeunte (nam menſe Aprili, cum Imperator ad Donum ſcripſit, Theodorus Sedem Conſtantinopolitanam etiam tum tenebat, ut ex ipſis litteris apparet) Theodoro abdicato, Georgium Epiſcopatum cepiſſe. Sunt, qui putant Theodorum ab Imperatore aut propter Monotheliſmum, aut alia de cauſſa ejectum fuiſſe; ſed nullo argumento id confirmare poſſunt. Illud veriſimilius eſt, Theodorum, cum prævideret fore, ut brevi cogeretur Concilium ad Monothelitarum hæreſim damnandam, damnationi voluiſſe ſubducere ſe; quod ſibi

G 2 ceſ-

ceſſurum ſperavit, ſi Epiſcopatum deponeret; nullaſque in futuro Concilio partes ipſe haberi videretur.

IV. Anno DCLXXIX. Cum Sanctus Agatho ab Imperatore litteras de cogenda Synodo ad hæreſis Monothelitarum exſtirpationem accepiſſet anno ſuperiore; atque optime cognoſceret, quanta eſſet hæreticorum pervicacia: ut eorum furorem & petulantiam facilius frangere poſſet, in diverſis Provinciis Synodos ſtatim habendas curavit; in quibus Catholica Fides adverſus Monothelitarum errores prædicaretur: ut, qui Apoſtolicæ Sedis auctoritati cedere nollent, hoc fateri cogerentur, ab Eccleſiis omnibus, quæ Apoſtolicæ Sedis Fidem Catholicam amplectebantur, diſſentire ſe; ac proinde vel hac ratione vincerentur. Itaque & in Gallia, & Mediolani hac de re Synodi ſunt celebratæ. Romæ quoque Sanctus Agatho Synodum Epiſcoporum centum quinque & viginti hoc anno coegit, Feria tertia Paſchæ; ut ex Eddio in Vita Sancti Wilfridi, qui Romanæ huic Synodo præſens adfuit, Pagius demonſtrat.

V. Anno DCLXXX. Sanctus Agatho Legatos, qui Sextæ Synodo nomine ſuo præeſſent, Conſtantinopolim miſit; neque diutius expectandum cenſuit Theodorum illum Cantuarienſem Archiepiſcopum, ſapientia maxime commendatum; quem & Synodum in Anglia ad rem hanc cogere, & Romam ſubinde petere ipſe juſſerat. Etenim ille hoc anno dumtaxat menſe Septembri fere exeunte Synodum in Britannia adverſus Monothelitarum errores habere potuit; quo tempore Sancti Agathonis Legati jam Conſtantinopoli erant; quo pervenerant die decima menſis Septembris, vel antea fortaſſe: cum ea die Imperator epiſtolam ad Georgium Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcripſerit, qua illi ſignificavit, Sancti Aga-

Digitized by Google

Agathonis Legatos Conſtantinopolim adveniſſe. Mendoſe igitur in Vita Sancti Agathonis ſcriptum eſt: *Miſſi Sedis Apoſtolicæ in Regiam Urbem ingredientes die decima menſis Novembris*. Tarditatem ſuam in mittendis Legatis Sanctus Pontifex apud Imperatorem verbis iſtis excuſavit: *Niſi longus Provinciarum ambitus, in quibus humilitatis noſtræ Concilium conſtitutum eſt, tanti temporis protelationem ingereret, olim hoc, quod vix tamdem nunc fieri potuit, noſter famulatus impleret. Sed dum de diverſis Provinciis familiare nobiſcum Concilium congregatur, & dum perſonas, quaſdam quidem de hac Romana Urbe, vel de proximo dirigere procuramus, quaſdam de longe poſitis Provinciis, in quibus verbum Chriſtianæ Fidei ab Apoſtolicis exiguitatis meæ prædeceſſoribus miſſi prædicabant, remeare præſtolamur, non parvus temporum curſus elapſus eſt*. Nam duobus ante annis litteras ab Imperatore acceperat de Synodo Sexta cogenda, Legatiſque Conſtantinopolim mittendis. In epiſtola vero, quam & ſuo, & Concilii ſui nomine Sanctus Agatho ad Imperatorem ſcripſit: *Sperabamus*, inquit, *de Britannia Theodorum Coepiſcopum noſtrum magnæ Inſulæ Britanniæ Archiepiſcopum & philoſophum cum aliis, qui ibidem uſque hactenus demorantur, exinde ad noſtram humilitatem conjungere*.

VI. Legati ſex a Sancto Agathone ad Sextam Synodum miſſi. Tres, qui Pontificis Summi nomine Concilio præeſſent; nimirum Theodorus, & Georgius Preſbyteri, & Johannes Diaconus: qui, quoniam Sancti Agathonis vice fungebantur, & ante Epiſcopos omnes in Synodo ſederunt, & priore loco in Actionibus eorum nomina ſemper recitata fuere. Tres itidem Legati, qui Synodi Romanæ, ſive Epiſcoporum Occidentalium, at-

que

que Septemtrionalium nomine Concilio intereſſent. Johannes ſcilicet Epiſcopus Portuenſis, Abundantius Epiſcopus Paternenſis, & Johannes alter Epiſcopus Rhegiranus; quibus locus poſt Patriarchas & Vicarios Sedium Patriarchalium datus fuit. Legatos iſtos miſiſſe ſe ſcribit Sanctus Agatho ad Imperatorem, *non pro confidentia eorum ſcientiæ*: ſed ut in Synodo exponant, *Quid hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia credat & prædicet; non per eloquentiam ſecularem, quæ nec ſuppetit idiotis hominibus, ſed per ſinceritatem Apoſtolicæ Fidei .... Ut nihil profecto præſumant augere, minuere, vel mutare, ſed Traditionem hujus Apoſtolicæ Sedis, ut a prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare.*

VII. Epiſtolas duas Sanctus Agatho ad Imperatorem dedit, quibus habendæ Synodi formam plane præſcripſit, eaſque Legatis ſuis tradidit ad Imperatorem perferendas, quæ lectæ fuerunt Actione quarta. Et cum hæc Sexta Synodus ob hanc dumtaxat cauſſam coacta fuerit, ut Catholica Fides de duabus Jeſu Chriſti Domini noſtri Voluntatibus & operationibus explicaretur, & ab omnibus ſuſciperetur; qui autem contra ſentirent, vel ſenſerant, damnationi ſubjicerentur: iccirco Sanctus Agatho, ut Fidei Catholicæ Judex ſupremus & Magiſter a Deo conſtitutus, illam dilucide & confidentiſſime expoſuit, eamque omnes amplecti debere planiſſime edixit in epiſtola, quam ſuo ſolo nomine ad Imperatorem dedit. In altera vero, quam & ſuo, & Synodi ſuæ nomine ad eumdem Imperatorem ſcripſit, hoc amplius profeſſus eſt: miſiſſe ſe Legatos, qui *Apoſtolicæ Fidei confeſſionem*, Sextæ Synodo *offerre debeant*; *non tamen tamquam de incertis contendere, ſed ut certa atque immutabilia compendioſa definitione proferre*. Ex quibus

bus intelligimus, hoc Sancto Agathoni Pontifici Summo fuiſſe propoſitum, ut non a Sexta Synodo Fides Catholica exponeretur, aut definiretur; ſed ut Catholica Fides a ſe jam ante expoſita, atque definita, a Synodo omnino ſuſciperetur. Illud etiam addens: *Qui hæc confiteri noluerint, ut infeſtos Catholicæ atque Apoſtolicæ confeſſioni perpetuæ condemnationis reos eſſe cenſemus*: nimirum Fidem Catholicam a ſe propoſitam Sanctus Agatho ab omnibus ſuſcipiendam mandavit, & in eos, qui illam ſuſcipere nollent, damnationis ſententiam ipſe tulit, quam deinceps Synodus exequeretur. Sed de duabus iſtis Sancti Agathonis epiſtolis cedro dignis, & ad pretioſiſſima quæque, atque clariſſima monumenta æquiparandis, plura nobis dicenda erunt.

VIII. De numero Orientalium Epiſcoporum, qui ad Sextam Synodum convenerunt, certi nihil definiri poteſt. Nam Theophanes atque Cedrenus ducentos novem & octoginta fuiſſe ſcripſerunt. Photius, Nilus, & Anonymus in Libello de Synodis centum & ſeptuaginta habent. Theodorus Balſamon alterum addit. Auctor Vitæ Sancti Agathonis, & Paullus Diaconus centum & quinquaginta dumtaxat exhibent. Ex ipſius Concilii Actis hoc cognoſcimus, principio paucos admodum Epiſcopos adfuiſſe: nam uſque ad Actionem nonam minus quadraginta fuere. Deinceps numerus factus eſt major: & in Actionibus poſterioribus uſque ad decimam quintam plus octoginta recenſentur. Actione vero decima octava, quæ & poſtrema fuit fere centum & quinquaginta numerati fuere.

IX. Anno DCLXXXI. abſoluta fuit Sexta Synodus, quæ anno ſuperiore haberi cepta fuerat. Ejus Actio poſtrema die decima ſexta menſis Septembris habita; quo tem-

Digitized by Google

tempore Sanctus Agatho Pontifex Summus ſuperſtes erat; & Synodicæ litteræ ad eum ſcriptæ fuerunt: qui tamen anno inſequenti ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo *ſepultus eſt ſub die quarto Idus Januarii*; ut in ejus Vita ſcriptum eſt. Sancto Agathoni Sanctus Leo II. ſucceſſit; qui ordinatus fuit die decima ſeptima menſis Auguſti. Sed anno inſequenti ſexcenteſimo octogeſimo tertio Sanctus Leo *ſepultus eſt ſub die quinto nonas Julii*: vixit ſcilicet in Pontificatu *menſes decem, dies ſeptem & decem*: ut Auctor ejus Vitæ ſcribit. Totidem certe menſes atque dies numerantur a die decima ſeptima menſis Auguſti anni ſuperioris, cum Sanctus Leo II. fuit ordinatus, ad diem tertiam menſis Julii hujus anni, quo Sanctus Pontifex vita functus eſt.

CAPUT

CAPUT VII.

Concilii Œcumenici Conſtantinopolitani III. ſive Sextæ Synodi Epitome exhibetur.

I. QUI adverſus Honorium I. ſcripſerunt, ex Sexta Synodo Œcumenica argumenta multa petere conſuevere, quibus innoxium Pontificem opprimere poſſe ſe arbitrati ſunt. Nos itaque Actorum Sextæ Synodi, eorum ſcilicet, quæ ſingulis Actionibus ſunt agitata, epitomen exhibeamus oportet: ut neque adverſariorum impetum declinare videamur; & cum in vindicando Honorio ad Synodi Sextæ hujus Acta lectores rejiciemus, cujuſmodi ea ſint, quiſque æſtimare poſſit. Sexta Synodus Actionibus decem & octo conſtat; quarum prima die ſeptima menſis Novembris anni ſexcenteſimi octogeſimi habita fuit; poſtrema vero die decima ſexta menſis Septembris anni proximi. Actione prima Sancti Agathonis Pontificis Summi Legati ita exorſi ſunt: *Quoniam ante hos quadraginta ſex plus minus annos quaſdam novitates vocum contrarias orthodoxæ Fidei introduxerunt, qui fuerunt Præſules hujus Regiæ civitatis, ideſt, Sergius, Pyrrhus, Paullus, & Petrus, nec non & Cyrus quondam Alexandrinæ civitatis Antiſtes, & Theodorus, qui fuit Epiſcopus Pharan, & alii quidam, qui eos ſecuti ſunt, unam voluntatem in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, unam-*

Digitized by Google

que operationem dogmatizantes , & docentes ; & multoties Apoſtolica Sede de hac re pulſante , de hinc ſupplicante , & minime valente uſque-huctenus a tali ſenſu pravæ æſtimationis eos abſtrahere : quæſumus , ut dicant , qui ex parte ſunt Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ , unde hujuſmodi vocum adinventa eſt novitas ? Ex quibus perſpicuum fit , Legatos , quod illis Sanctus Agatho in mandatis dederat , hoc jam principio Synodi fuiſſe aggreſſos : nimirum , ut Apoſtolicæ Sedis Traditionem proponerent , tamquam rem plane certam , atque prorſus indubitatam ; ac proinde ſententiam , quæ Traditioni Apoſtolicæ Sedis adverſabatur , hæreſim confidenter appellaſſe . Neque alia de cauſſa , niſi ad infirmorum inſtitutionem , & obſtinatorum ignominiam de illis quæſiſſe , ut ſententiæ ſuæ rationem redderent : ut ; cum nullam afferre poſſent , convicti fractique diſcederent . Tunc juſſit Imperator Georgium Conſtantinopolitanum Epiſcopum , & Macarium Epiſcopum Antiochenum Legatorum interrogationibus reſpondere . Et Macarius quidem cum Presbytero ſuo Stephano , Petrus Nicomediæ Metropolita , & Salomon Epiſcopus Clanei dixerunt : voces illas accepiſſe ſe a Sacris Conciliis , Sanctis Patribus , atque a Sergio , Pyrrho , Paullo , Petro Conſtantinopolitanis Epiſcopis , & Cyro Alexandrino , quibus etiam Honorium I. Pontificem Summum annumerarunt . Illud vero animadvertere oportet , Legatis hoc ſtatim Monothelitas conceſſiſſe , ſecutos fuiſſe ſe Sergii , Pyrrhi , Paulli , Petri , atque Cyri hæreticorum ſententiam , ac petulanter Honorium I. cum hæreticis illis miſcuiſſe : ut vel jam ab initio Synodi appareat , Monothelitis , qui in ea præſentes aderant , atque in primis Macario Antiocheno hoc fuiſſe propoſitum , ut Honorium I. Romanum Pontificem Sergio , Pyrrho , Paul-

Digitized by Google

Paullo, Petro Epiſcopis Conſtantinopolitanis hæreticis a ſe admixtum, quæ iſtos damnatio manebat, illum quoque feriret. Lecta deinceps fuerunt in hac Actione prima Epheſini Concilii Acta, ſed nihil Monothelitæ in eis invenire potuerunt, quod ſibi ſuffragaretur.

II. Actione ſecunda habita die decima menſis ejuſdem lecta fuerunt Acta Concilii Calchedonenſis; & cum ventum eſſet ad illa verba epiſtolæ Sancti Leonis Magni: *Agit utraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt: Verbo operante, quod Verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt*: Legati Sancti Agathonis exclamaverunt: *Ecce manifeſte duas naturales operationes inconfuſe, & indiviſe in Domino noſtro Jeſu Chriſto præſens Sanctiſſimus prædicat Pater, cujus præſentem ſermonem Sancta Quarta Synodus Firmamentum orthodoxæ Fidei inſcripſit, & damnationem univerſæ hæreſis, utpote profeſſioni Beati Principis Apoſtolorum Petri convenientem*: Tum Macarium Antiochenum interrogarunt, quid ad hæc reſponderet? *Ego*, inquit ille, *duas operationes non dico, ſed nec ſentio, quod Beatæ memoriæ Leo per hunc ſermonem duas operationes dixerit*. Et cum Macarium Imperator urgeret, an ſentiret, Sanctum Leonem unam operationem dixiſſe? *Ego*, ſubjecit Macarius, *numerum non dico, ſed Dei-virilem operationem*. *Et quomodo*, inſtitit Imperator, *intelligis Dei-virilem operationem*? Tunc Macarius, cum, quo ſe verteret, non haberet, novam ſibi religionem inceſſiſſe ſimulavit, ut e manibus Imperatoris elaberetur: *Ego*, inquit, *non ſuperjudico*. Lectis deinde Actis omnibus Concilii ejuſdem Calchedonenſis, nihil quicquam Monothelitæ ex illis oſtendere potuerunt, quod ſe ne tantulum quidem juvaret.

III. Actione tertia habita die decima tertia menſis

Digitized by Google

ejuſdem, cum legenda eſſent Acta Quintæ Synodi, ideſt Concilii Conſtantinopolitani II. quemadmodum Actione ſuperiore propoſitum fuerat; Quintæ Synodi Codicem lector in manus ſumpſit, atque quod initio ſcriptum erat, ita legere cepit: *Sermo Sanctæ memoriæ Mennæ Archiepiſcopi Conſtantinopoleos ad Vigilium Beatiſſimum Papam Romanum, De eo, quod una ſit Chriſti voluntas*. Quod cum audirent Legati Sancti Agathonis, continuo exclamaverunt: *Falſatus eſt præſens Liber Quintæ Synodi: nequaquam relegatur Sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, quia fictus eſt... Quia non eſt tunc temporis poſitus in exordio, cum fierent Acta in Sancta Quinta Synodo, ſed nuper appoſitus eſt in principio præſentis Libri*. Et re vera cum Imperator, & Epiſcopi quidam, atque Judices Librum inſpexiſſent, *invenerunt tres quaterniones in principio Libri additos, non habentes ſubnotationem numeri, qui ſecundum conſuetudinem affigitur in quaternionibus; ſed in quarto quaternione habere primum numerum, & in ſequenti quaternione ſecundum, & tertium, & quartum ſubſequenter: alias vero & diſſimiles eſſe litteras eorumdem in exordiis ſubmiſſorum quaternionum, in quibus continebatur Sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium a litteris, quæ prius ſcriptæ ſunt in eodem Codice*. Quamobrem, fraude jam patefacta, dixit Imperator: *Hujuſmodi non relegatur Sermo*. Miſſo itaque ficto illo, & commentitio Sermone, Quintæ Synodi Acta legi cepta ſunt. Ecce autem nova Monothelitarum fraus detecta. Nam cum ventum eſſet ad Actionem ſeptimam: *reperti ſunt in ea duo Libri, quaſi ex nomine Vigilii Sanctæ memoriæ, qui fuit Papa Romanus; unus quidem ad Juſtinianum quondam Imperatorem; alter vero ad Theodoram quondam Auguſtam, in quibus continebatur ita: Anathe-*

thematizamus autem & Theodorum, qui fuit Epiſcopus Mopſreſtiæ ... qui non confitetur, Chriſtum eſſe unam perſonam, & unam operationem. Tunc rurſus Sancti Agathonis Legati vociferati ſunt: *Non faciat Deus: Non dixit Vigilius unam operationem: Non ſunt Libelli Vigilii: falſatus eſt hic Liber, ſicut & exordia primi Libri præſentis Quintæ Synodi*. Macarius tamen, ejuſque ſectatores Monothelitæ, qui facinoris conſcii erant, neque reſpondere, neque hiſcere quidem auſi ſunt; ſed dilationem dumtaxat dari ſibi poſtularunt: ut, ſiquidem ex Sacris Conciliis nihil proferre potuerant, quod ſibi faveret, Sanctorum Patrum teſtimonia ad ſententiæ ſuæ impiæ confirmationem producerent.

IV. Actione quarta die decima quinta Novembris habita lectæ fuerunt Epiſtolæ duæ Sancti Agathonis Pontificis Summi, quibus adverſus Monothelitarum errores explicaverat, atque definiverat Catholicam Fidem, quam in Sexta hac Synodo propoſitam ſuſcipere deberent omnes; in eos autem, qui id facere recuſarent, damnationis ſententiam tulerat. Actione quinta habita die ſeptima menſis Decembris: cum Macarius Antiochenus, aliique Monothelitæ, qui in Synodo præſentes aderant, polliciti fuiſſent Actione prima, impiam ſuam ſententiam de una in Chriſto voluntate & Conciliorum Sacrorum definitionibus, & Sanctorum Patrum teſtimoniis confirmare, cumque ex Conciliis nihil jam afferre potuiſſent, quod ſibi ſuffragaretur, juſſi ſunt proferre Sanctorum Patrum, quæ jactaverant teſtimonia. Duos itaque Codices exhibuerunt, quibus hæc inſcriptio erat: *Teſtimonia Sanctorum Patrum, unam Domini noſtri Jeſu Chriſti voluntatem docentia, quæ eſt etiam Patris, & Spiritus Sancti*: Statimque Codices illi duo lecti ſunt. Deinceps vero

alia

alia etiam teſtimonia in eamdem rem producendi facta fuit Monothelitis poteſtas. Hic primus locus eſt, ex quo manifeſte apparet, Acta Synodi hujus Sextæ mutila eſſe. Nam quis ſibi in animum inducat, cum Macarius ceterique Monothelitæ, qui in Concilio erant, Sanctorum Patrum teſtimoniis abuſi fuiſſent; nimirum cum ſententias ex Sanctis Patribus aut præter rem, aut decurtatas, aut corruptas adduxiſſent, Legatos Apoſtolicos plane tacuiſſe, & non magis Monothelitis fraudem & fallaciam exprobraſſe? In Actione tamen hac de Legatorum hujuſmodi conqueſtione nihil quicquam ſcriptum exſtat.

V. Actione ſexta habita die duodecima menſis Februarii anni ſexcenteſimi octogeſimi primi, tertium Monothelitæ Macario Antiocheno duce Codicem exhibuerunt ita inſcriptum: *Sequentia teſtimoniorum de voluntate*. Quo Codice lecto, cum interrogati fuiſſent Monothelitæ, numquidnam amplius proferre vellent? Reſponderunt: *Sufficientes ſumus in his, quæ jam a nobis prolata ſunt, teſtimoniis Sanctorum ac probabilium Patrum, & aliud quid proferre nolumus*. Tunc Legati Apoſtolici dixerunt, Monothelitas ſuis illis teſtimoniis nihil quicquam oſtendiſſe de una voluntate Domini noſtri Jeſu Chriſti: *Sed & ipſa teſtimonia quæ protulerunt, detruncaverunt; & quæ ad Trinitatis quidem attinent rationem de una voluntate, pro Incarnationis diſpenſatione protulerunt: quæ vero conveniunt, & quæ proprie pro Incarnationis diſpenſatione poſita ſunt, tam ſenſum, quam verba detruncaverunt*. Quam quidem querimoniam a Legatis Apoſtolicis etiam Actione ſuperiore habitam fuiſſe, non temere mihi perſuaſum eſt; quamvis ea in Actis fuerit prætermiſſa. Actione ſeptima habita die decima tertia menſis

ſis ejuſdem, Legati Apoſtolici Codicem exhibuerunt, quem illis Sanctus Agatho Pontifex Summus tradiderat: in quo deſcripta erant Sanctorum Patrum teſtimonia de duabus voluntatibus, atque duabus operationibus Chriſti Domini noſtri. Quo Codice lecto Legati iidem poſtularunt, Monothelitas interrogari, nimirum *Georgium Archiepiſcopum Regiæ Urbis, & ſubjacentem ei Synodum; & Macarium Archiepiſcopum Antiochiæ civitatis, & ſubjectos ei Epiſcopos, an ſequantur ea, quæ continentur duabus lectis relationibus nempe Agathonis Sanctiſſimi Papæ Apoſtolicæ Sedis antiquæ Romæ?* Ex quibus apparet, Legatos Apoſtolicos, quemadmodum Sancti Agathonis Epiſtolas ut Fidei Catholicæ definitionem protulerant; ita etiam ab illis, qui Catholici videri vellent, eas omnino ſuſcipi voluiſſe; iiſque aſſentiri, quæ a Sancto Agathone jam declarata, atque definita fuerant. Tunc *Georgius, & Macarius, & qui cum eis erant, dixerunt: Petimus, ut exemplaria prædictarum ſuggeſtionum percipiamus: recurrentes namque, & conferentes teſtimonia, quæ in eis ſunt Sanctorum probabilium Patrum cum Codicibus hujus venerabilis Patriarchii, in ſubſequenti dabimus reſponſum.* In ſcirpo nodum quærunt Monothelitæ.

VI. Actione octava habita die ſeptima menſis Martii interrogati fuerunt Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, & Macarius Antiochenus, atque Epiſcopi illis ſubjecti: *An ſequantur ea, quæ continentur relationibus miſſis a Sanctiſſimo Papa Romæ veteris Agathone?* Et Georgius quidem ſtatim profeſſus eſt, ſe illis aſſentiri. Georgium ſecuti ſunt primores Thraciæ, Aſiaticæ, & Ponticæ Diœceſeos Epiſcopi. Epiſcoporum quatuordecim profeſſio nominatim refertur; deinde additur: *Et ſurgentes ceteri omnes Deo amabiles Epiſcopi, qui ſub Sedem Con-*

ſtan-

ſtantinopolitanam fuerant, *exclamaverunt*, *dicentes*: *Et nos notionem accipientes ſuggeſtionis directæ ab Agathone Sanctiſſimo Papa antiquæ Romæ*, *& ſequentes ſenſum*, *qui in ea continetur*, *ſic ſapimus*, *& profitemur*, *& credimus &c.* Deinde Macarium Synodus urgere cepit. *Si confitetur in Chriſto duas voluntates naturales*, *& duas operationes naturales* . . . *Et ſi ſequitur ſuggeſtiones directas ab Agathone Sanctiſſimo Papa antiquæ Romæ?* Ad quæ Macarius Synodo reſpondit: *Non dico duas voluntates*, *aut duas operationes in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti*; *ſed unam voluntatem*, *& Dei-virilem operationem*. Qua nefaria Macarii pertinacia Synodus graviter commota hanc in eum ſententiam tulit: Ut de ſolio ſuo ſtatim ſurgeret, atque ut reus ad reſpondendum ſtaret: *Sancta Synodus dixit*: *Poſtquam non conſentit virtuti directarum orthodoxarum ſuggeſtionum ab Agathone Sanctiſſimo Papa Romano Macarius*, *prævidimus hunc de Sede ſua ſurgere*, *ut debeat reſpondere*. Hoc cum audiſſent Epiſcopi Sedi Antiochenæ ſubjecti Macrobius, Conſtantinus, Theodorus, & Eulalius, continuo Sancti Agathonis Epiſtolas ſuſcipere ſe profeſſi ſunt. Tum interrogatus Macarius, quid ſentiret *de diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti?* Unam in eo eſſe voluntatem, impudenter reſpondit; & conſentire Honorio, Sergio, Paulo, & Petro. Iterum ſcilicet Macarius Honorium I. hæreticis Monothelitis annumeravit: atque etiam tertio in Fidei ſuæ expoſitione, quam ſcripto Imperatori exhibuerat, quæ lecta fuit Actione iſta. At non temerarium fuit, quod Macarius Honorium identidem appellaverit: quod nos ſuo loco animadvertemus. Rurſus interrogatus Macarius: *Si confitetur duas naturales voluntates*, *& duas operationes naturales in Incarnationis diſpen-*

ſatio-

ſatione Chriſti Dei noſtri? audacter reſpondit: *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, nec ſi membratim incidar, & mittar in mare.* Deinceps facta fuit collatio Teſtimoniorum, quæ Macarius ad hæreſis ſuæ confirmationem protulerat, cum Codicibus de Patriarchio ſumptis: & cum Teſtimonia a Macario producta inventa fuerint obtruncata, interciſa, atque corrupta, illi fuit exprobratum: *Non congruere orthodoxis ita circumtruncatas Sanctorum Patrum voces deflorare; hæreticorum potius proprium hoc eſſe.* Atqui Macarius audacia & impudentia ſua fretus: *Quærens*, inquit, *ſtabilire intentionem meam hoc modo deſloravi.* Quod cum audiſſet Synodus, exclamavit: *Hæreticum ſe ipſum manifeſte demonſtravit: Novo Dioſcoro anathema: Hujuſmodi deponatur: Novum Dioſcorum foras mitte. Novo Apollinario malos annos: Merito ab Epiſcopatu alienetur, nudetur circumpoſito ei Pallio:* quod continuo factum eſt.

VII. Actione nona habita die octava ejuſdem menſis, collata fuerunt cum Codicibus Patriarchii reliqua Teſtimonia a Macario jam producta, & corrupta. Et cum Stephanus Macarii diſcipulus unam in Chriſto voluntatem Sancti Gregorii teſtimonio confirmare conaretur, ipſis Sancti Patris verbis fuit convictus, atque gladio ſuo jugulatus; ſtatimque anathema illi dictum, & de Synodo fuit ejectus. Actione decima, habita die decima octava ejuſdem menſis, lecta fuerunt Teſtimonia Sanctorum Patrum producta per Sancti Agathonis Legatos; & collata cum Codicibus Patriarchii, utraque inter ſe convenientia reperta ſunt. Actione undecima habita die vigeſima ejuſdem menſis lecta fuit Synodica Epiſtola Sancti Sophronii Epiſcopi Jeroſolymitani ad Sergium Epi-

ſcopum Conſtantinopolitanum jam olim data; quam Sergius tamen non ſuſceperat: propterea quod duas in Chriſto voluntates, duaſque operationes aperte Sophronius illa profeſſus fuerat. Lecta deinde fuerunt quædam Macarii jam depoſiti ſcripta, quibus Monothelismum propugnaverat, & evulgaverat. Inter ea erat Sermo quidam, quo Macarius quærebatur, eos, qui unam voluntatem in Chriſto dixerunt, a Catholicis fuiſſe damnatos: *Anathematizaverunt*, ſcripſit Macarius, *omnes, qui unam voluntatem Domini adſtruxerunt; quorum unus exſtitit Honorius Romanus, qui unam voluntatem manifeſtiſſime prædicavit*. Quarto hactenus a Macario Honorius I. Monothelitis fuit annumeratus.

VIII. Actione duodecima die vigeſima ſecunda ejuſdem menſis habita, cum Imperator *Reipublicæ cauſſis occupatus* Synodo præſens adeſſe non poſſet, miſit ad ipſam Codices nonnullos a Macario ſibi traditos anno ſuperiore; ſed a ſe numquam lectos. In iſtis Codicibus deſcripta erat Epiſtola Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Cyrum Phaſidis tunc Epiſcopum, qua illi exhibuerat Teſtimonia quædam Sanctorum Patrum, quibus una in Chriſto operatio dici videretur; quam nos epiſtolam ſuo loco memoravimus. Deſcriptus etiam erat in illis Codicibus, quos a Macario Imperator acceperat, Sermo Mennæ ad Vigilium, & Actio ſeptima Quintæ Synodi cum duobus illis Libellis Vigilii Pontificis Summi nomine inſcriptis ad Juſtinianum, atque Theodoram. At cum Sancti Agathonis Legati & Mennæ Libellum, & Sermones illos duos Vigilio adſcriptos falſitatis jam arguiſſent Actione tertia, lecti non fuerunt. Hinc animadvertere debemus, Macarium, cum Synodum ad Monothelitarum errores extirpandos cogendam intelligeret, nihil

hil intentatum reliquiſſe, ut Imperatorem ad partes ſuas traheret, quod & Epiſcopi in hac Actione notarunt, vituperantes *Macarium in devia mittentem noſtrum Principem per oblatos ab eo Codices*: addiderunt etiam, eumdem ad hanc rem fraudem & fallaciam adhibuiſſe, tum Sanctorum Patrum Teſtimonia corrupta congerendo, tum ſcripta confingendo, & ſupponendo, ſeu ab aliis conficta, & ſuppoſita divulgando. Sed præter Libellos illos Mennæ & Vigilii nomina præferentes, deſcripta erant in iiſdem Codicibus a Macario Imperatori traditis duarum Epiſtolarum exempla: exemplum ſcilicet Epiſtolæ Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Honorium I. Pontificem Summum; & exemplum itidem reſponſi Honorii ad eumdem Sergium; & utraque Epiſtola Actione hac lecta fuit. Cum autem Honorius epiſtola illa Sergii conſilium de ſilentio unius aut duarum operationum in Chriſto probare, atque unam, quemadmodum Sergius, voluntatem in Chriſto dicere videretur, ea epiſtola in cauſſa fuit, cur Honorio I. Pontifici Summo *anathema*, ſicut Sergio, Pyrrho, Paullo, Petro, Cyro hæreticis Monothelitis dictum fuerit. Hanc nos tamen epiſtolam ſuo loco exhibebimus, ſimulque epiſtolam Sergii; atque diligenter examinabimus, an Honorio tota ſit adſcribenda, an Macarius potius epiſtolæ illius magnam partem, qua potiſſimum peccare videtur, fuerit fabricatus, eamque epiſtolæ ab Honorio ſcriptæ fraudulenter aſſuerit? Interim illud obſervemus, exemplum epiſtolæ Honorii, quale a Macario perfido Monothelita fuit prolatum, nuſquam ante apparuiſſe. Iccirco Macarius ſemper Honorium appellabat, iccirco Monothelitis illum annumerabat, ſciebat enim quo id argumento faceret. Macario quippe hoc conſilium fuit, vel Monothelitarum

errorem in Sexta Synodo non damnatum iri, ſi & Mennam Epiſcopum Conſtantinopolitanum vitæ ſanctitate clarum, & Vigilium, & Honorium etiam Pontifices Romanos ejus erroris auctores, aut certe ſectatores fuiſſe perſuaderet, aut ſi hæreſis illa damnaretur, hoc ſibi ſolatii fore, ut cum Monothelitis etiam Mennas, Vigilius, & Honorius una ſimul condemnarentur. Illud vero incredibile eſt, Sancti Agathonis Legatos audita epiſtola, quæ Honorii I. nomine lecta fuit, plane tacuiſſe, nihilque conatos, ut ſcriptum illud ſibi novum atque inviſum, in Honorium autem maxime injurium, falſitatis arguerent; præſertim cum adverſus Libellos Vigilio adſcriptos hoc jam præſtitiſſent! Quanto facilius ſibi quiſque in animum inducet, Actionem iſtam mutilam eſſe, in eaque prætermiſſam Legatorum expoſtulationem?

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Reliquorum Actorum Sextæ Synodi epitome exhibetur.

I. Actione decima tertia habita die vigeſima octava menſis Martii, Epiſcopi, qui Synodo præſentes aderant, judicium tulerunt de Epiſtola Honorii I. Pontificis Summi nomine Actione ſuperiore recitata, eaque conjuncta cum epiſtola Sergii, ita de ambabus pronunciarunt: *Has invenientes alienas omnino exſiſtere ab Apoſtolicis dogmatibus, & a definitionibus Sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum; ſequi vero falſas doctrinas hæreticorum, eas omnimodo abjicimus, & tamquam animæ noxias execramur. Quorum autem impia execramur dogmata., horum & nomina a Sancta Dei Eccleſia projici judicavimus, ideſt Sergii, Cyri, Pyrrhi, Petri, Paulli, atque Theodori.... Cum his vero ſimul projici a Sancta Dei Eccleſia Catholica ſimulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit.* Deinde juſſus fuit Georgius chartophylax perſcrutari Chartophylacium Patriarchii, & ſcripta omnia Pyrrhi, Petri, Paulli, Cyri atque Theodori ad rem hanc pertinentia Synodo exhibere: quod ſtatim ab eo præſtitum fuit. Sed dum ſcripta illa exquireret, caſu invenit epiſtolam alteram Hono-

Honorii I. nomine ſcriptam, & ad Sergium datam, quæ cum lecta fuiſſet, illico cum ſcriptis hæreticorum Pyrrhi, Paulli, Petri, Cyri, atque Theodori combuſta fuit. De omnibus enim ſcriptis a Georgio illo exhibitis Epiſcopi ita in Synodo pronunciarunt: *Comperimus in unam, eamdemque impietatem concurrere: & prævidimus profana, & animæ perniciosa continuo ob perfectum exterminium igne concremari & combuſta ſunt*. Quid ad hæc Sancti Agathonis Legati? Nihil, ne verbum quidem. Bardos, ſtupidoſque, vel elingues, aut magis ſtipites illos fuiſſe oportet; qui cum audirent, Honorium I. Pontificem Summum hæreticis Monothelitis annumerari, atque una ſimul cum illis damnari, anathematizari, litteraſque ejus nomine inſcriptas tamquam impias comburi, ne hiſcerent quidem. An illos fugerat, Honorii orthodoxiam a multis, & a Johanne IV. præſertim fuiſſe vindicatam? An ignorabant, Pontifices, qui hac de re inquiſitionem ante habuerant, Honorium in hæreſis ſuſpicionem vocaſſe numquam? Anne illos oblivio ceperat eorum, quæ Sanctus Agatho in mandatis dederat, ut ab ſe decretis nihil quicquam addi paterentur? Hæc omnia incredibilia credat ille neceſſe eſt, cui non perſuaſum ſit, Legatos excuſationes multas, & juſtas, & idoneas attuliſſe, quæ facile Honorium defenderent: quas tamen cum accipere noluiſſent Epiſcopi, qui in Concilio aderant, iccirco ſcriptis commendatæ non fuerint. Epiſtolam illam alteram Honorii allatam, & hac Actione lectam, deinde igni traditam, ſuo loco exhibebimus, atque expendemus.

II. Actione decima quarta habita die quinta menſis Aprilis, cum Sancti Agathonis Legati jam Actione tertia poſtulaſſent, ut inquiſitio fieret de Libello Mennæ ad

ad Vigilium, & de Libellis duobus Vigilii ad Juſtinianum atque Theodoram a Monothelitis exhibitis: primum diligentiſſima facta fuit Codicum collatio. Nimirum duo Codices erant Quintæ Synodi ex Patriarchio ſumpti, & in principio utriuſque additus fuerat Sermo Mennæ ad Vigilium; in Septima Actione vero ejuſdem Quintæ Synodi additi fuerant duo Libelli Vigilii ad Juſtinianum, atque Theodoram. Erat & tertius Codex, quo ſola Actio ſeptima Quintæ Synodi continebatur; & in eo quoque additi fuerant Libelli illi duo Vigilii ad Juſtinianum atque Theodoram. Verum inventus fuit in eodem Patriarchio Codex alius purus a Monothelitarum manibus, in quo ſcilicet deerant omnia illa additamenta. Itaque tres illi Codices interpolati collati fuerunt cum Codice integro, atque cum aliis antiquis Codicibus Quintæ Synodi, & clarius apparuit fallacia. Conſtitit nimirum, folia, quaterniones additos fuiſſe: quocirca placuit: *Libros eos obelis obduci in locis, in quibus depravati ſunt, & caſſari eos: illos autem, qui falſaverunt, anathemati ſubmitti; & nominatim cum eis anathematizari Libellum, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & duos Libellos quaſi a Vigilio ad Juſtinianum, & Theodoram*. Illud vero mirum: nullam inquiſitionem in eos factam, qui Libellos iſtos ſuppoſuerant. Nam ſua ſponte Macrobius Epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ, qui antea Macario addictus fuerat, Quintæ Synodi Codicem protulit, dicens, a Philippo quodam datum ſibi fuiſſe; in cujus Septima Actione erant additamenta illa Libellorum, ſcripta manu Georgii Monachi, qui familiaris Macario erat. Tum interrogatus Georgius ille Monachus, qui præſens aderat, an additamenta illa ſcripſiſſet, faſſus eſt ingenue, atque rem omnem aperuit. Theodorum ſcilicet,

ante-

Digitized by Google

antequam Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſe abdicaret, & Macarium oſtendiſſe ſibi Libellos iſtos Vigilii ad Juſtinianum atque Theodoram, & dixiſſe, inventos illos in Patriarchio; ſtatimque ipſos curaſſe, ut exempla fierent, quæ Imperatori tradita ſunt. Ex quo cum auctoritatem Libellis conciliaſſe illi ſibi viderentur, ubique eos divulgabant. Contigit autem, ut tunc Philippus quidam Codicem Quintæ Synodi de Occidente deferret, quem Stephano Macarii diſcipulo oſtendit; quo in Codice cum duo illi Libelli deeſſent; ac proinde Stephanus diceret, mutilum eſſe Codicem; Philippus a Stephano petiit, ut quod deeſſet, adderet: *Et ipſe Stephanus*, inquit Georgius Monachus, *dixit mihi, ut ſcriberem eoſdem Libellos; & ſcripſi de memoratis exemplaribus, & dedi eidem Stephano. Non ſolum autem in hoc Libro addiderunt iſtos, qui dicuntur Libelli Vigilii; ſed quanticumque Libri Quinti Concilii ad eos pervenerunt, non habentes Libellos, qui dicuntur Vigilii, addiderunt idem Macarius & Stephanus*. Deinde & Codici cuidam Latino Quintæ Synodi Libellos iſtos inſertos fuiſſe memoravit, & Conſtantinum Grammaticum teſtem allegavit. Qui hac de re interrogatus, dixit, Paullum olim Conſtantinopolitanum Epiſcopum produxiſſe de Bibliotheca Patriarchii Codicem Latinum Quinti Concilii, ſibique tradidiſſe, ut illum conferret cum Codice græco, & inſpiceret, numquidnam in Septima Actione deeſſet? Cumque in Codice Latino deeſſent Libelli illi duo Vigilii nomine, qui in græco Codice erant; juſſit Paulus Epiſcopus Conſtantinum Grammaticum adſciſcere ſibi librarium latinum, qui Libellos illos duos ex græcis interpretatos latino Codici adderet. Et hæc quidem de duobus illis Libellis Vigilio ſuppoſitis. De Libello autem Mennæ ad Vigilium ſcripto, etſi ille quo-

Digitized by Google

quoque ſuppoſitus fuerit judicatus, nulla tamen habita inquiſitio, quamvis factam oportuit: ſed *anathema* dumtaxat dictum *Libro*, *qui dicitur Mennæ ad Vigilium*, & *qui finxerunt*, *ſive ſcripſerunt*. Non levis porro ſuſpicio eſt, conſulto ab inquiſitione abſtentum, ne ſceleris hujus architectus proderetur; qui non alius ſane, quam Sergius Conſtantinopolitanus Epiſcopus fuiſſe videtur, Monothelitarum ſignifer. Ille enim primus Librum hunc Mennæ memoravit, eumque ſemper in ore ferebat, atque huc illuc miſſiculabat. Nam & ad Theodorum Pharanitanum, & ad Paullum monoculum illum miſit; ut Sanctus Maximus in diſputatione cum Pyrrho teſtificatur: & Cyro eumdem tradidit, & in epiſtola ad Honorium ipſum laudavit. Profecto quin a Monothelitis Liber ille confictus fuerit, nemo negaverit; cum ad eorum hæreſim tuendam fuerit fabricatus. Atqui ex Monothelitis Sergius primus illum protulit, qui & hæreſis illius veluti alter parens cum Theodoro Pharanitano extitit: igitur non ab alio, quam a Sergio confictus fuiſſe videtur. Et hoc in cauſſa fuit, cur græci, illique præcipue, qui Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſubjecti erant, prætermittendam curaverint de Libri hujus ſuppoſitione inquiſitionem; ne nova ſcilicet infamiæ nota Sergio inureretur. Ex quibus multa cognoſcimus. Primum: Monothelitas ad fraudes fallaciaſque converſos, ut hæreſim ſuam quoquo modo tuerentur; atque ad hoc Libellos Vigilio Pontifici Summo per injuriam ſuppoſuiſſe, ut illum hæreſis ſuæ patronum falſo licet oſtenderent: & ſi quidem Monothelitæ damnandi eſſent, etiam ex Romanis Pontificibus unum aut alterum in eamdem damnationem ſecum ipſi traherent. Alterum: Libellum Mennæ ad Vigilium Sergio eſſe tribuendum. Tertium:

Libellos Vigilii ad Juſtinianum atque Theodoram a Paullo Conſtantinopolitano Epiſcopo Monothelita fuiſſe compoſitos: nam is primus illos produxit. Quartum: Macarium Antiochenum, atque Theodorum, qui paullo ante Epiſcopus Conſtantinopolitanus fuerat, ſimul conſpiraſſe, ut Libelli ejuſmodi vulgo diſpaleſcerent; eoſque Conſtantino Imperatori tradidiſſe, ut ad partes ſuas illum, ſi fieri poſſet, traducerent. Tandem: in Patriarchio Conſtantinopolitano fuiſſe Codices corruptos, vitiatos, adulteratos: nam Libri illi omnes corrupti, quibus litura adhibita fuit, ex Patriarchio ſumpti fuerant.

III. Actione decima quinta habita die vigeſima ſexta ejuſdem menſis, delirus quidam ſenex presbyter & monachus, cui nomen erat Polychronio, juſſus fuit Fidei ſuæ rationem reddere, cum in Monotheliſmi ſuſpicionem magnam Synodo veniſſet. Impiam ille atque blaſphemam Fidei formulam ab ſe conſcriptam Synodo exhibuit, petiitque, ut ſuper mortui hominis corpus poneretur; & ſi quidem mortuus homo reviviſceret, illa eſſet vera fides; ſin minus, daret ipſe pœnas, quas Synodus vellet. Conditio hujuſmodi ab inſano Polychronio propoſita non riſum magis quam ſtomachum Epiſcopis movit: chartam tamen ſuper mortui hominis corpus ponendam mandarunt, ut ignominia atque dedecore perfuſus ſtultus ſenex ille diſcederet; neve in poſterum ſimplicem rudemque plebeculam ſua vaniloquentia deciperet. Sed cum diu multumque in mortui hominis aures inſuſurraſſet, neque reviviſceret ille tamen qui, mortuus erat, deſperatus Polychronius dixit: *Nullatenus ſe poſſe mortuum ſuſcitare. Populus itaque, qui ibidem aderat, exclamavit dicens: Novo Simoni anathema: Polychronio ſeductori populi anathema*. Statimque Synodus illum depo-

fuit,

Digitized by Google

ſuit, atque anathemate multavit. Actione decima ſexta habita die nona menſis Auguſti, ingreſſus eſt Synodum Conſtantinus Presbyter Eccleſiæ Apameenſis in ſecunda Syria, qui petiit, ut Conſtantis *Typus* innovaretur: *neque contriſtarentur*, inquit, *qui dicunt unam voluntatem, & qui dicunt duas voluntates*: multaque blateravit, ut Monothelitarum errores tueretur; addens illa a Macario accepiſſe ſe. Tum in illum Synodus anathema dixit. Deinde Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſuo, & Epiſcoporum ſibi ſubjectorum nomine poſtulavit, ut ſi fieri poſſet: *Nominatim non anathematizarentur perſonæ in exclamationibus, ideſt Sergius, Pyrrhus, Paullus, Petrus*: Huic poſtulationi tamen Synodus nihil detulit: Sed *exclamaverunt univerſi*: *Sergio hæretico anathema, Cyro hæretico anathema, Honorio hæretico anathema, Pyrrho hæretico anathema, Paullo hæretico anathema, Petro hæretico anathema*. Quo in loco illud obſervemus: Georgium alioſque quoſdam Epiſcopos conatos fuiſſe ſubducere infamiæ Sergium, Pyrrhum, Paullum, Petrum: quoniam fuerant Conſtantinopolitani Epiſcopi, quamvis peſſimi Monothelitæ: de Honorio vero, qui Romanus Pontifex fuit, cogitaſſe neminem; neque Legatis curæ fuiſſe, ejus honorem, exiſtimationem, nomen, innocentiam tueri. Quod cum difficile creditu ſit, facilius omnibus perſuaſum erit, huic quoque Actioni nonnulla deeſſe: quemadmodum certe deeſt quæſtio habita de Apergio Pergenſi Epiſcopo, cui anathema cum hæreticis ceteris dictum fuit; nam ejus cauſſam ante examinatam fuiſſe oportet: quod tamen in Actis hujus Synodi nuſquam factum legitur. Actione decima ſeptima habita die undecima Septembris, propoſita fuit Fidei definitio adverſus Monothelitarum erro-

 res:

Digitized by Google

res: quæ eſt ipſa Sancti Agathonis epiſtola, quam ad Conſtantinum Imperatorem miſerat in compendium redacta. Principio autem definitionis hujus ita Epiſcopi dixerunt: *Adinventor malitiæ .... organa ad propriam ſui voluntatem apta reperiens, Theodorum dicimus, qui fuerat Epiſcopus Pharan, Sergium, Pyrrhum, Paullum, Petrum, qui fuerunt hujus Regiæ urbis Antiſtites; inſuper & Honorium, qui fuit Papa antiquæ Romæ, non vacavit per eos plenitudini Eccleſiæ erroris ſcandala ſuſcitare*. Honorium ſemper ſcilicet cum Sergio, Pyrrho, aliiſque hæreticis in crimen idem vocarunt.

IV. Actione decima octava, quæ & poſtrema fuit, habita die decima ſexta menſis ejuſdem, Fidei definitioni ſolemniter promulgatæ Epiſcopi ſubſcripſerunt omnes; poſt illos vero Conſtantinus Imperator: ſtatimque conſecutæ ſunt acclamationes, in quibus anathema dixerunt hæreticis, & inter illos etiam *Honorio anathema*. Lectus deinde fuit ſermo acclamatorius ad Imperatorem, in quo Epiſcopi profeſſi ſunt: *Ab Eccleſiaſticis ſeptis abjeciſſe, & anathemati merito ſubjeciſſe Theodorum, Sergium, Pyrrhum &c. & cum eis Honorium, qui fuit Romæ Præſul, ut pote qui eos in his ſecutus eſt*. Poſtmodum compoſitum fuit Edictum nomine Conſtantini Imperatoris, quo Catholica Fides a Synodo ſuſcepta dilucide exponitur; & in eos, qui aliter ſentirent, pœna ſancitur. De iis vero, qui Monotheliſmum induxerant, hæc ſcripta ſunt: *Hujuſmodi contagione Eccleſias contaminaverunt etiam hi, qui ante noſtra tempora ſacrilegi Sacerdotes Eccleſias perverſe gubernarunt: ſunt autem hi: Theodorus, Sergius, ad hæc & Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujuſmodi hæreſeos confirmator, qui etiam ſui exſtitit oppugnator*; ſive ut alii legunt: *qui*

etiam

Digitized by Google

etiam ſibi non conſtat: vel ut in verſione, quam protulit Harduinus: *qui fuit confirmator hæreſis, & ipſe ſibi repugnavit*: & multis interjectis: *Anathematizamus, & refutamus eos, qui ſupervacuorum, & novorum dogmatum hæretici auctores, atque fautores ſunt. Dicimus autem Theodorum, qui fuit Pharan Epiſcopus, & Sergium, qui fuit noſtræ Regiæ urbis Antiſtes, huic conſentaneum, & moribus atque impietate parilem: ad hæc & Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa, horum hæreſeös in omnibus fautorem, concurſorem, atque confirmatorem &c.* ſive ut in Harduini verſione: *Præterea autem Honorium quoque Papam veteris Romæ, qui fuit cum eis in omnibus cohæreticus, & concurrens, & confirmator hæreſis*: Ut Edictum hoc a græcis Epiſcopis Conſtantini Imperatoris nomine conſcriptum, famoſum Libellum adverſus Honorium dicere poſſis. Poſtmodum ad Sanctum Agathonem Pontificem Summum epiſtolam Synodicam ſcripſerunt; qua poſtquam profeſſi ſunt, ſecutos fuiſſe ſe ejus definitionem, hæc addiderunt: *Anathematibus interfecimus ex ſententia per ſacras veſtras litteras de iis prius lata, videlicet Theodorum, Sergium, Honorium &c.* Quibus aperte mentiti ſunt Epiſcopi iſti: cum Sanctus Agatho in ſua epiſtola numquam Honorii meminerit. In eo vero laudandi; quod officii ſui memores, & veterem atque antiquam Eccleſiæ diſciplinam retinentes, Fidei definitionis hauſtæ licet ex Sancti Agathonis epiſtola, confirmationem tamen ab eo poſtularunt: *Orthodoxæ Fidei ſplendidam lucem clare prædicavimus; quam ut iterum per honorabilia veſtra reſcripta confirmetis, veſtram oramus paternam Sanctitatem*. Epiſtola iſta Synodica ad Sanctum Agathonem, cum ſcripta fuerit poſt diem decimam ſextam menſis Septembris anni ſexcenteſimi octogeſimi pri-

mi,

Digitized by Google

mi, qua die poſtrema Synodi Actio habita fuerat, Sancto Pontifici non fuit reddita. Nam antequam Legati, a quibus ea erat perferenda, Conſtantinopoli diſcederent; ubi propter quædam Eccleſiæ Romanæ negotia hiemarunt; de Sancti Agathonis morte, quæ die nona Januarii, ut ejus Vitæ Scriptor narrat, contigit, illis renunciatum fuit.

V. Anno igitur ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo ineunte Sanctus Agatho Pontifex Summus mortem obiit, eique Sanctus Leo II. ſucceſſit: quod ubi Conſtantinus Imperator accepit, epiſtolam ad illum ſcripſit, quam Legatis perferendam tradidit. Ea vero quamvis data fuerit *Indictione decima*, non tamen *menſe Decembri*; ut in inſcriptione eſt, dari potuit: cum eo tempore Sanctus Agatho viveret; qui cum mortuus fuerit menſe Januario anni hujus; eodemque anno menſe Julio Legati epiſtolam Imperatoris deferentes Romam pervenerint, ut ſcribit Sanctus Leo II. in reſponſo ad Conſtantinum: planum fit, Imperatoris epiſtolam illam menſe Aprili, vel Majo ſcriptam fuiſſe. Unde temporis notam corrigendam potius, quam epiſtolam abjiciendam putamus: quemadmodum & quod in ea Imperator narrat, ſcripſiſſe ſe ad Sanctum Agathonem, ut Sexta Synodus cogeretur, quamvis non ad illum, ſed ad Donum ejus deceſſorem ſcripſerit; id ita poſſumus interpretari: ut cum epiſtola ad Donum miſſa, ab Sancto Agathone, qui Dono ſucceſſerat, fuerit accepta, idemque Imperatori reſponderit, ad Sanctum Agathonem Imperator ſcripſiſſe videatur. In hac Conſtantini epiſtola ad Sanctum Leonem II. nihil de Honorio ſcriptum eſt: ſed Sanctum Leonem Imperator certiorem reddit de Synodo feliciter abſoluta; Sanctum Agathonem ſummis laudibus effert:

Velu-

Digitized by Google

Veluti, ſcribit, *ipſum Principem Apoſtolici Chori, primæque Cathedræ Antiſtitem Petrum contuiti ſumus mentium noſtrarum oculis, totius diſpenſationis myſterium divinitus eloquentem . . . . & veluti Petrum ipſum ulnis animi ſuſcepimus*. Demum Macarium a Synodo depoſitum cum ſociis Romam mittere ſe ſcribit; quod illi poſtulaverant: *Eos*, inquit, *ad Vos mittimus, veſtro Paterno judicio omnem ipſorum cauſſam permittentes*.

VI. Conſtantino Imperatori Sanctus Leo II. reſpondit; ſed non *nonis Maii Indictione decima*: cum acceperit ipſe Conſtantini litteras menſe Julio eadem Indictione; ut in epiſtola Sancti Leonis ſcriptum eſt. Quinimmo, cum ipſe addat, accepiſſe ſe illas *per nuper elapſam decimam Indictionem*, cognoſcimus, reſpondiſſe Indictione undecima; hoc eſt poſt Calendas Septembris anni ſexcenteſimi octogeſimi ſecundi; poſtquam ſcilicet Indictio undecima currere ceperat. Temporis enim nota in hac epiſtola Sancti Leonis ad Conſtantinum: *Data nonis Maii Indictione decima*: &c. mendoſa eſt, & in græco exemplari deſideratur. Sanctus Leo hac ſua ad Imperatorem epiſtola primum illi gratias agit, quod egregiam operam dederit, ut Monothelitarum hæreſis extingueretur. Tum Fidei definitionem, quam ex Sancti Agathonis epiſtola Synodus propoſuerat, confirmat. Deinde anathematizat hæreſis Monotheliticæ auctores Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paullum, Petrum, *nec non*, addit, *& Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ Traditionis doctrina luſtravit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit*. Profecto etſi Sanctus Leo epiſtolam illam ſcripſerit; de Honorio tamen tale nihil ſcripſit, aut ſcribere potuit: ſed

græ-

Digitized by Google

græculus quiſpiam audax & perfidioſus, verba, quæ Honorium tangunt, inſeruit; quæ deinceps ex græco exemplo corrupto in latinam interpretationem translata fuere: quod nos ſuo loco argumentis confirmabimus.

CAPUT

CAPUT IX.

De Honorii I. accuſatione, ejuſque quatuor defenſionibus hactenus comparatis.

I. Quemadmodum ex hæreſis Monothelitarum Hiſtoria, & Sextæ Synodi Actis a nobis exhibitis Honorii I. Pontificis Summi accuſatio facile apparet; ita nos indidem Honorii ejuſdem defenſionem, quæ omnibus probari poſſit, ſumemus. Accuſationis hæc ſunt capita: Quod Honorius in Monothelitarum hæreſi reprimenda indiligens fuerit: & quod litteris ſuis ad Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum Monothelitam datis in ipſa hæreſi cum eo conſentire viſus ſit. Hinc Pyrrhus Epiſcopus Conſtantinopolitanus Monothelita cum hæreſim hanc prædicaret, Honorium I. a ſe ſtare dictitabat: ut narrat Johannes IV. in litteris ad Conſtantinum Imperatorem. Hinc Paullus & ipſe Epiſcopus Conſtantinopolitanus itidem Monothelita in epiſtola ad Theodorum Pontificem Summum ſcribere non dubitavit: quod *concordantes & conſonantes facti ſunt, Sergius & Honorius*. Hinc Macarius Patriarcha Antiochenus & ipſe Monothelita in Sexta Synodo Actione prima, & Actione octava ſemel iterum atque ſæpius Honorium I. Sergio, Cyro, Pyrrho, ceteriſque Monothelitarum ducibus annumeravit. Hinc Actione decima tertia in eadem Sexta Synodo lectis Honorii I.

ad Sergium litteris dixerunt Epiſcopi: *Anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſecutus eſt, & impia dogmata confirmavit*. Hinc Actione decima quinta: *Honorio hæretico anathema* dictum. Hinc denique in Edicto, Imperatoris nomine a græcis conſcripto, inter hæreticos nominatur *Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujuſmodi hæreſeos confirmator*. Præterea ſi quis tres illas epiſtolas, quæ Sancti Leonis II. nomine circumferuntur, perlegerit: in ea, quæ ad Conſtantinum Imperatorem ſcripta eſt, inveniet, anathematizatum Honorium, *qui Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ Traditionis doctrina luſtravit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit*. In epiſtola vero ad Ervigium Hiſpaniæ Regem ſcripta: ab Eccleſia projectos fuiſſe Sergium, Pyrrhum, ceteroſque Monothelitas, *& una cum eis Honorium Romanum, qui immaculatam Apoſtolicæ Traditionis regulam, quam a prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit*. Tamdem in epiſtola ad Hiſpaniæ Epiſcopos: *Æterna condemnatione multati ſunt Theodorus, Cyrus, Sergius .... cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem exſtinxit, ſed negligendo confovit*.

II. Honorii I. tamen, multo ante quam in Sexta Synodo damnaretur, defenſionem ſuſcepit Johannes IV. qui poſt Severinum Honorio ſucceſſit. Nam cum ille audiſſet, Pyrrhum audacter prædicare, quemadmodum Honorius litteris ſuis Monothelitarum errores comprobaſſet; tribus fere poſt annis, quam Honorius obierat, Apologiam pro illo ſcripſit, quam ad Imperatorem Conſtantinum miſit anno ſexcenteſimo quadrageſimo primo.

In

Digitized by Google

In ea Johannes IV. oſtendit, Honorium I. a Monothelitarum erroribus longiſſime abfuiſſe: *Honorius deceſſor meus*, ſcribit Johannes IV. *docens de myſterio Incarnationis Chriſti dicebat: non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium ſenſum convertentes, Divinitatis ejus, & humanitatis unam eſſe voluntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt; quod veritati omnimodis eſt contrarium*. Eodem ferme tempore etiam Sanctus Maximus Martyr non ſemel ad Honorium I. defendendum adverſus Monothelitas, qui illum ſibi favere jactabant, aggreſſus eſt. Poſtquam vero Sexta Synodus habita fuit, non mirum eſt, ſi per annos totos ſeptingentos & amplius Honorii cauſſam nemo examinandam ſumpſerit: cum illis temporibus vix quiſquam eſſet, qui Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudio oblectaretur, aut qui Conciliorum Acta percurreret; neque ea ætate illæ agitarentur quæſtiones, quæ Honorii cauſſam attingerent.

III. At ubi poſt Concilium Conſtantienſe de Pontificis Summi, atque de Œcumenici Concilii auctoritate diſceptari ceptum eſt; ſtatim Honorii damnatio in medium allata fuit. Tum vero Cardinalis Johannes de Turrecremata viam quamdam excogitavit, qua Honorium defendere poſſe ſe credidit in libro ſecundo de Eccleſia cap. 93. nimirum Honorium nihil quicquam in litteris ſuis ad Sergium ſcripſiſſe, quod Catholicæ Fidei adverſaretur; ſed Epiſcopos in Sexta Synodo litterarum Honorii ſententiam non fuiſſe aſſecutos, & quæ Honorius recte atque Catholice ſcripſerat, peſſime interpretatos fuiſſe, eaque ad Monothelitarum ſenſum perperam traduxiſſe; ac proinde cum illis Honorius Monothelita, fal-

Digitized by Google

ſo ſcilicet, viſus fuerit, illum iccirco anathemati ſubjeciſſe. Si qui tamen ita ſentiunt, perdifficilem ac lubricam defenſionis rationem ſibi proponunt, ſeque ipſi in eas anguſtias conjiciunt, ex quibus vix evadere poſſint. Nam verendum eſt maxime, ne quis illis regerat, tale quid fortaſſe accidere potuiſſe etiam Nicæni, aut Epheſini Concilii Patribus, qui Arii, vel Neſtorii ſcripta ſecus atque Arius vel Neſtorius ſenſerit, acceperint. Scopulum hunc proinde alii ut vitarent, Honorium I. in Monothelitarum errorem imprudentem delapſum fuiſſe, ſcribere non dubitarunt; ac proinde Honorii litteras ad Sergium hæreſim Monotheliticam ſapere: ſed eas Honorium, non ut Romanum Pontificem, ſed ut hominem privatum ſcripſiſſe; iiſque litteris non Romani Pontificis definientis judicium, ſed privati hominis ſententiam contineri. Nihil porro Romani Pontificis infallibilitati obeſſe putant, ſi ut privatus Doctor, qualem ſe Honorius habuit, cum ad Sergium ſcriberet, erret in Fide; dummodo, cum ut Romanus Pontifex de Fide aliquid definit, errare non poſſit. Sed iſthæc Honorii defenſionis via, quam Melchior Canus in libro ſexto de locis Theolog. cap. 8. inſtitit, paucis admodum placuit; atque ut verum fatear, mihi minime placet.

IV. Atqui cum Albertus Pighius aliam defendendi Honorii rationem adinveniſſet, illum Bellarminus, & Baronius Cardinales aliique libenter ſecuti ſunt. Etenim Albertus Pighius primus, quem ego ſciam, Sextæ Synodi Acta, ubi *Honorio anathema* ſcriptum eſt, corrupta fuiſſe ſuſpicatus fuit. Cujus quidem ſuſpicionis argumenta quædam Cardinalis Bellarminus libro quarto de

Ro-

Digitized by Google

Romano Pontifice, cap. 11. produxit; quæ deinceps Cardinalis Baronius ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum primum dilatavit. Ea vero tendunt, ut perſuaſum faciant, ubi in Synodi Actis *Theodori* nomen ſcriptum erat, *Honorii* nomen ſuffectum fuiſſe. Theodorus enim, qui ſe tribus fere ante Sextam Synodum annis Epiſcopatu Conſtantinopolitano abdicavit, cum jam Monothelita eſſet, fieri non potuit, ut damnationem effugeret, atque cum aliis Epiſcopis Conſtantinopolitanis Monothelitis conjungeretur: attamen ejus nomen nuſquam in Sextæ Synodi Actis apparet. Ex quo conjecturam hanc duci poſſe arbitrantur, ut Theodorus ipſe, quem cum ceteris Monothelitis damnatum oportuit, Honorii nomen in Sextæ Synodi Actis, ubi ſuum ſcriptum fuerat, ſubſtituerit.

V. Conjecturas omnes tamen de Actorum Sextæ Synodi corruptione Petrus de Marca refellere jam decreverat; ut refert Stephanus Baluzius in ejus Vita: ſed cum illi mors ſcribendi facultatem præripuerit, provinciam ſuſcepit Franciſcus Combefiſius; qui in Diſſertatione Apologetica pro Actis Sextæ Synodi, Cardinalis Baronii argumenta diluit, eaque contra attulit, quibus Sextæ Synodi Acta ſincera ad nos perveniſſe perſuaderet. Profecto Chriſtianus Lupus in Diſſertatione de Sexta Synodo, Johannes Baptiſta Tamagninus in Scrutinio ſexto Hiſtoriæ Monothelitarum, Johannes Garnerius in Appendice ad Notas cap. 2. Libri Diurni, Natalis Alexander in Diſſertatione tertia Seculi VII. Antonius Pagius ad annum DCLXXXI. & plerique alii omnes eruditi viri Combefiſio ſubſcripſerunt. Qua ſuſpicione de Actorum Sextæ Synodi corruptione exploſa,

Ho-

Digitized by Google

Honorium alia ratione, eaque magis expedita defendi poſſe illi cenſuere: videlicet: Honorio non propter hæreſim fuiſſe in Sexta Synodo anathema dictum; ſed ob negligentiam dumtaxat in damnando Monothelitarum errore, ob inconſultam œconomiam, qua hæreſi oblique quodammodo favere viſus ſit: ut anathema Honorio dictum indiligentiæ, diſſimulationis, conniventiæ in extirpanda Monothelitarum hæreſi pœna fuerit. Nam quod ad litteras, quæ Honorii nomine in Sexta Synodo lectæ fuerunt, pertinet: iidem eruditi viri, cum earum verba verbis, atque ſententiis ſententias contuliſſent, demonſtrare conati ſunt, nihil in iis litteris inveniri, quod non cum catholica Fide recte conſentiat: ita ut Petrus de Marca pollicitus fuerit, ut Stephanus Baluzius in ejus Vita teſtificatur, daturum ſe epiſtolam ad Philippum Labbeum, *in qua*, inquit Baluzius, *Honorium Romanum Epiſcopum, quem Seculi noſtri malignitas in Concilio Sexto Œcumenico damnatum eſſe contendit ut Monothelitam, ab ea labe prorſus immunem reddidiſſet*. Et Natalis Alexander loco laudato propoſitionem hanc poſuerit: *Honorius ab hæreſi tam vere excuſatur, quam pie*. Quamvis enim Honorius in litteris ſuis ad Sergium quædam uſurpaſſet verba, quibus ille aliique Monothelitæ ad ſuos inſerendos errores utebantur: attamen, pergit Alexander, *locutus eſt mente catholica, & ſenſu ab eorum errore penitus alieno*: cum Scriptorum ſententia diſſimilis in verbis licet ſimillimis ex tempore, ex diverſa perſonarum, & conſiliorum ratione, ex aliiſque adjunctis percipiatur. Vias iſtas quatuor hactenus inſtiterunt, qui in Honorii cauſſa defendenda elaborarunt. Atqui cum illarum nulla ſatis Honorium de omni cul-

Digitized by Google

culpa purget, aliam nobis viam inveſtigandam propoſuimus; qua Honorius I. non ab omni vel leviſſima hæreſis ſuſpicione ſolum liberetur, ſed quælibet etiam ab eo negligentiæ culpa removeatur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT X.

Nova quædam, & vera via Honorii I. defendendi proponitur, qua ab omni & hæreſis ſuſpicione, & negligentiæ culpa liberatur.

I. ETSI qui Honorii I. Pontificis Summi defenſionem ſuſceperunt, ſedulo feciſſe omnes credam, fatendum eſt tamen, neque Honorii innocentiæ, neque iis, qui Honorium in culpam vel hæreſis, vel negligentiæ vocant, eorum quemquam ſatisfeciſſe. Mitto illos, qui litteras, Honorii nomine in Sexta Synodo lectas, ab Epiſcopis perperam acceptas fuiſſe commenti ſunt: iſti enim licet Honorium omnino abſolvere conentur, Conciliorum auctoritatem imprudentes labefactant; quod nemo probare poterit. Qui vero Honorium in Monothelitarum hæreſim cum Sergio conſenſiſſe putarunt: quamvis id Honorio ut privato doctori tribuant, hæreticum tamen Honorium nobis exhibent: quod quam Honorio, immo Apoſtolicæ Sedi injurium ſit, nihil attinet commemorare. Sed neque illi, qui Sextæ Synodi Acta, ubi *Honorio anathema* ſcriptum eſt, corrupta fuiſſe putarunt, Honorii innocentiæ ſatis conſuluere. Nam ſi Sextæ Synodi Acta vitiata ſunt &

cor-

Digitized by Google

corrupta; non aliunde ſane, quam ex litteris Honorii nomine in Synodo lectis ſycophanta occaſionem arripuit ad corruptionem faciendam: hoc eſt, qui Acta corrupit, qui per fraudem anathema Honorio in Acta Synodi induxit, certum habuit, facile omnibus perſuaderi poſſe, ab Epiſcopis in Synodo anathema Honorio fuiſſe dictum; propterea quod eas litteras, quæ Monothelismum olerent, audiſſent: ex quo hæreſis ſaltem ſuſpicione Honorius aſpergitur. Qui demum Actorum Sextæ Synodi ſinceritatem tuentur; & non propter hæreſim Honorio anathema dictum fuiſſe ab Epiſcopis contendunt, ſed dumtaxat ob inconſultam œconomiam, qua ille uſus fuerit in Monothelitarum cauſſa: hi quidem, præterquamquod in litterarum, quæ Honorii nomen præferunt, verbis interpretandis ingenio ſuo quibuſdam plus nimio indulgere videntur, ut ad Catholicam ſententiam omnia traducere poſſint: Honorium præterea negligentiæ in Monothelitarum hæreſi reprimenda reum facere coguntur. Itaque etſi qui ita Honorium defendunt (ſunt autem multi) viam quamdam ſelegerint, quæ Honorio maxime faveat, quæque omnium expeditiſſima ſit; idque conſequi poſſe ſe putant, ut hæreſis ſuſpicione omni Honorium exſolvant: Honorio tamen negligentiæ culpa manet, propter quam Epiſcopi in Sexta Synodo illum anathemati ſubjecerunt; quia pacis ſervandæ nomine hæreſi Monothelitarum non obſtiterit, ſed eam magis oblique conſoverit.

II. Quam ſane negligentiæ maculam Honorio abſtergere nemo poterit, qui non litteras, quales in Sexta Synodo Honorii I. nomine lectæ ſunt, quæque illi fraudi fuere, ab Honorio abjudicandas eſſe oſtenderit: quam

Digitized by Google

quidem in viam nemo etiam nunc, ni fallor, ingreſſus eſt. Nam quamvis Anaſtaſius Bibliothecarius, in epiſtola ad Johannem Diaconum Romanum, de litterarum, quæ Honorii nomine in Sexta Synodo lectæ fuerunt, ſinceritate ſubdubitare viſus fuerit, rationem tamen ſubjecit nullam, quæ ſe in dubitationem adduxerit. Poſtmodum etiam Cardinalis Bellarminus ſuppoſitionis earumdem litterarum ſuſpicionem quamdam injecit; ea conjectura ductus: quod Monothelitæ etiam Vigilio Romano Pontifici litteras duas falſo adſcripſerint, ut illum ad partes ſuas traherent: *Quid ergo mirum*, ſcribit Bellarminus libro quarto de Romano Pontifice cap. 11. *ſi iidem artifices idem fecerint in Sexta Synodo, Honorio ſcilicet litteras fallaciter affingendo?* Non levis quidem hæc conjectura eſt; ſed non ejuſmodi, ut ex ea litterarum, quæ Honorii nomen præferunt, ſuppoſitio coargui poſſit.

III. Ego vero non ſolum conjecturis multis & perſpicuis, ſed argumentis etiam plurimis & certiſſimis demonſtrabo, Litteras, quales Honorii I. nomine in Sexta Synodo lectæ fuerunt, non ab Honorio ſcriptas fuiſſe, ſed a Monothelitis confictas, atque per ſummam injuriam Honorio ſuppoſitas: quod faciam, ſi prius propoſiti mei rationem expoſuero. Honorium I. Pontificem Summum ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcripſiſſe fateor, neque unas dumtaxat fortaſſe ad illum dediſſe litteras, quæ interciderint: ſed cum duæ Honorii nomine in Sexta Synodo epiſtolæ fuerint exhibitæ, altera Actione duodecima, altera vero Actione decima tertia; ambas ab Honorio ita abjudicandas eſſe contendo, ut, quæ poſteriore loco lecta fuit, tota

ac

Digitized by Google

ac quanta quanta eſt, fuerit a Monothelitis conficta: ejus vero, quæ priore loco fuit recitata, licet pars quædam ab Honorio ſcripta fuerit, magnam partem tamen, quatenus Monotheliſmo favere videtur, verbis & ſententiis a Monothelitis inſertis conſtare; qui Honorii ſcripto multa conſuerunt, quæ nos diſſuemus, & a verbis, quibus Honorii ad Sergium reſponſum continetur, Monothelitarum fabulas ſecernemus: ut quid Honorius in epiſtola ſua ad Sergium ſcripſerit, quid Monothelitæ ad illam adſcripſerint, maniſeſte appareat. Hoc mihi propoſitum eſt oſtendere: atque illud amplius indagare, quo tempore, & per quos fraus iſthæc fuerit admiſſa; ut nullus de litterarum iſtarum ſuppoſitione ambigendi locus relinquatur. Ita fiet, ut non ab hæreſis ſuſpicione ſolum, ſed etiam a favore Monothelitis præſtito, a negligentiæ culpa in hæreſi illa exſtirpanda, ab omni denique labe Honorius plane vindicetur.

IV. Antequam vero hujus rei argumenta proferamus, epiſtolas illas duas Honorii nomine in Sexta Synodo lectas exhibeamus oportet: ut, quæ deinceps argumenta ſubjiciemus, cum epiſtolarum locis quilibet conferre poſſit. Sed cum hiſce faciendis litteris occaſionem dederit Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Honorium epiſtola, ea primo loco proponenda eſt: non ſolum quod illa indicet, quid Honorius Sergio, qui ab illo Fidei regulam percunctari ſimulabat, reſcribere debuerit, ut ad interrogata reſponderet; ſed multo etiam magis, quod & hæc Sergii epiſtola a Monothelitis interpolata fuerit, ut, cum iis, quæ in Honorii litteras ipſi induxerant, congrueret. Ita enim factum

ctum oportuit : neque ſatis erat , Honorii litteras adulteraſſe ; niſi ſimul etiam Sergii epiſtolam , cui Honorius ſuo reſponſo ſubſervire videretur , confinxiſſent .

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XI.

Epiſtola Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Honorium I. Pontificem Summum in Monothelitarum cauſſa data exhibetur: quæ ſcripta exſtat in Actione duodecima Sextæ Synodi.

„ I. IN tantum Vobis Sanctiſſimis conſonanter in „ omnibus unanimitate ſpiritus conſtringimur, ut „ ſtudeamus omnium conſiliorum noſtrorum, & „ actionum Vos Sanctiſſimos habere præſidentes: „ & niſi plurimum locorum diſtantia ſejungeret; hoc „ utique quotidie gereremus, Veſtræ honorandæ unanimi„ que Fraternitatis munito, muratoque noſmetipſos cir„ cumſepientes conſultu: attamen quoniam nobis etiam „ ſermo, atque abſque labore littera, quod ſtudemus „ impartit, confeſtim ea, pro quibus hoc ſcribimus, „ enarramus.

„ II. Ante aliquod certum tempus, cum adverſus „ Perſas a Deo confirmatus Dominus noſter & ma„ gnus victor Imperator promoviſſet exercitum, propter „ certamina a Deo ſibi creditæ Chriſto amabilis Rei„ publicæ, & ad partes Armeniæ provinciæ perveniſ„ ſet; unus ex principibus impiæ partis Severi execra„ bilis, nomine Paullus, in illis locis apparens, ad „ ejus pietatem acceſſit, ſermonem pro ſua errabunda

„ hæ-

„ hæreſi proferens, ejus ſcilicet patrocinio ſuſcepto: in
„ quibus piiſſima ejus ac regalis magnanimitas (cum ce-
„ teris enim donis Dei, etiam Divinorum dogmatum
„ locupletari ſcientia meruit) dum redarguiſſet, atque
„ depompaſſet pravam ejus impietatem, profanis ejus
„ aſtutiis Sanctæ noſtræ Eccleſiæ, ut verus ejus propu-
„ gnator, recta atque immaculata e diverſo protulit
„ dogmata, inter quæ & unius operationis Chriſti
„ veri Dei noſtri mentionem fecit.

„ III. Poſt aliquod vero tempus idem a Deo con-
„ firmatus Imperator in provinciam Lazorum adveniens,
„ recordatus eſt diſputationis, quam, ſicut diximus,
„ fecerat ad Paullum illum hæreticum in præſentia Cy-
„ ri Sanctiſſimi, tunc quidem ejuſdem Chriſto amabilis
„ Lazorum provinciæ Metropolitanam Sedem tenentis,
„ nunc autem magnam Alexandriam regentis. Prædi-
„ ctus igitur Sanctiſſimus vir, his auditis, ejus Sere-
„ nitati reſpondit, neſcire ſubtiliter, utrum unam, an
„ duas operationes Chriſti veri Dei noſtri adſtruere ne-
„ ceſſe ſit. Ergo per juſſionem ejus pietatis, per lit-
„ teras proprias interrogavit nos prædictus Sanctiſſimus
„ vir, utrum unam operationem, an duas in Salvato-
„ re noſtro Chriſto neceſſe ſit dicere, & ſi quoſdam
„ noſcamus Sanctorum, ac Beatiſſimorum Patrum unam
„ dicentes operationem.

„ IV. Unde nos, quæ noſtræ erant ſcientiæ, per
„ noſtra reſcripta ei ſignificavimus, dirigentes etiam Ser-
„ monem acclamatorium Mennæ Sanctiſſimi quondam
„ Patriarchæ hujus a Deo conſervandæ Regiæ urbis,
„ porrectum ab eo hic præſenti Vigilio Sanctæ memo-
„ riæ prædeceſſori Sanctitatis Veſtræ, habentem & di-
„ verſa teſtimonia paterna de una operatione, & una

„ vo-

Digitized by Google

„ voluntate Salvatoris noſtri Chriſti veri Dei noſtri.
„ Nihil tamen proprium penitus in hujuſmodi noſtris
„ reſcriptis promulgavimus; ſicut ſuppetit noſſe Vos Sa-
„ cratiſſimos, & unanimes, relegentes eorum, quæ miſ-
„ ſa ſunt, exemplaria. Et ſilentium quidem ex illo tem-
„ pore hujuſmodi ſuſcepit Capitulum.

„ V. Quia igitur ante parvum tempus, cooperante
„ gratia Dei, qui omnes homines vult ſalvos fieri, &
„ ad agnitionem veritatis venire, pio zelo fortiſſimi ac
„ invictiſſimi magni Imperatoris excitatus Cyrus Sanctiſ-
„ ſimus Alexandriæ magnæ civitatis Patriarcha, & com-
„ munis frater noſter, & conſacerdos Dei, amabiliter
„ & modeſte adhortatus eſt eos, qui in magna civi-
„ tate Alexandrina, Eutychetis, & Dioſcori, Severi
„ quoque, & Juliani Deo odibilium hæreſi languerent,
„ ad Catholicam Eccleſiam accedere: & poſt multas
„ diſputationes, & labores, quos cum nimia pruden-
„ tia, & ſaluberrima diſpenſatione in hac cauſſa im-
„ pendit, hoc, quod feſtinabat, per ſupernam gra-
„ tiam ordinavit; facta ſunt inter utraſque partes dog-
„ matica quædam Capitula, in quibus tamen (qui an-
„ tea quidem in diverſas portiones diviſi fuerant, proa-
„ voſque ſibi Dioſcorum, atque Severum ſceleratos hæ-
„ reticos inſcribebant) coadunati ſunt cum Sanctiſſima
„ ac ſola Catholica Eccleſia, & unus grex Chriſti veri
„ Dei noſtri, omnis Chriſto amabilis Alexandriæ popu-
„ lus factus eſt; & pene univerſa cum eis Ægyptus, &
„ Thebais, & Libya, & ceteræ Ægyptiacæ diſpoſitionis
„ regiones, quas olim conſiderare licebat, ut diximus,
„ in innumerabilium hæreſeon multitudine diſciſſas; nunc
„ autem beneplacito Dei, & ſtudio prædicti Sanctiſſi-
„ mi Alexandrinorum Antiſtitis, unum labium facti

„ ſunt

Digitized by Google

„ ſunt omnes, una vox, & in unitate ſpiritus recta
„ Eccleſiæ dogmata confitentur. Ex his autem, quæ di-
„ cta ſunt, atque ſtabilita, unum exſiſtit Capitulum
„ de una operatione Chriſti magni Dei & Salvatoris
„ noſtri.
„ VI. His ita provenientibus, Sophronius venerabilis
„ monachus, qui (ut nunc ex uno auditu didicimus)
„ Jeroſolymorum Præſul eſt ordinatus (necdum enim
„ hactenus ejus ex more Synodica ſuſcepimus) apud
„ Alexandriam tunc temporis poſitus cum præfato San-
„ ctiſſimo Papa, quando, ſicut diximus, admirabilem
„ illam circa eos, qui dudum hæretici fuerant, Dei
„ beneplacito unitatem componebat, atque cum eo de
„ eiſdem Capitulis pertractabat, adverſatus eſt, & con-
„ tradixit ad unius operationis Capitulum, duas omni-
„ no operationes Chriſti Dei noſtri dignum inquiens cen-
„ ſeri: prænominato autem Sanctiſſimo Papa præſertim
„ Teſtimonia ei quorundam Sanctorum Patrum noſtro-
„ rum proferente, diſperſim in quibuſdam opuſculis ſuis
„ unam operationem aſſerentium; ad hæc quoque & ex
„ abundanti inquiente, quod multoties Sancti Patres no-
„ ſtri, ut lucrarentur plurimarum animarum ſalutem,
„ dum talia emergerent Capitula, Deo gratis diſpen-
„ ſationibus, ac placitis uſi fuiſſe videntur, nihil de
„ ſubtilitate rectorum Eccleſiæ dogmatum exagitantes;
„ & dicente, quod oporteat utique etiam in præſenti,
„ dum tantorum millium populorum ſalus præ manibus
„ ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari; ic-
„ circo quod, ſicut dictum eſt, etiam a quibuſdam
„ Sacris Patribus vox hujuſmodi dicta eſt; nihilque de
„ hoc lædatur rectæ Fidei ratio; memoratus Deo ama-
„ bilis Sophronius talem diſpenſationem nullatenus acce-

„ pto

„ pto tulit. Quia igitur pro hoc cum litteris ejuſdem
„ Sanctiſſimi comminiſtri ad nos conjunxit, de hoc quoque
„ etiam apud nos ſermonem monendo inſiſtens,
„ ut de talibus adimeretur Capitulis poſt factam unitionem
„ vox unius operationis, durum nos hoc arbitrati
„ ſumus. Quomodo enim non eſſet durum,
„ & valde oneroſum, quando hoc reſolvere evertereque
„ erat futurum quidem omnem illam concordiam, atque
„ unitatem, quæ bene fuerat effecta, tam apud
„ Alexandrinam magnam civitatem, quamque per univerſas
„ ſub ea provincias, quæ nullo tempore uſque
„ nunc acquieverant, nomen ſaltem ſimplex Divini atque
„ laudabilis Patris noſtri Leonis, aut Sancti &
„ magni, atque univerſalis Calchedonenſis Concilii mentionem
„ facere, nunc vero præclara & magna voce
„ in Divinis Miſſarum arcanis hoc prædicantes?

„ VII. Multis igitur a nobis de hoc motis ſermonibus
„ ad prænominatum venerabilem Sophronium, poſtremo
„ adhortati cum ſumus, Teſtimonia nobis proferre
„ Sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet,
„ quos omnes communiter Doctores confitemur,
„ & quorum dogmata legem Sanctæ Dei cognoſcunt
„ Eccleſiæ, duas nominatim, & ipſis verbis operationes
„ in Chriſto dicendas tradentia: ille autem hoc facere
„ penitus non valuit.

„ VIII. Nos vero conſiderantes, incipientem ex hoc
„ inter quoſdam hic contentionem exardeſcere, & ſcientes
„ quod ſemper ex hujuſmodi decertationibus hæreſeon
„ diſſenſiones effectæ ſunt; neceſſarium judicavimus,
„ omne ſtudium ponere ad ſedandum atque amputandum
„ talem ſuperfluam verborum conflictum; &
„ ad ſæpe dictum Sanctiſſimum Alexandriæ Patriarcham

„ ſcripſimus, ut poſtquam unitatem cum his, qui pri-
„ dem ſeparabantur, Deo auxiliante compoſuit, de ce-
„ tero nullum permitteret unam aut duas proferre ope-
„ rationes in Chriſto Deo noſtro, magis autem (ſicut
„ Sancta & Univerſalia tradiderunt Concilia) unum
„ eumdemque Filium Unigenitum Dominum noſtrum Je-
„ ſum Chriſtum verum Deum operatum confiteri tam
„ Divina quam humana, & omnem Deo decibilem, &
„ homine dignam operationem ex uno eodemque incar-
„ nato Deo Verbo indiviſe procedere, & ad unum
„ eumdemque redigi: eo quod unius quidem operationis
„ vox, quamquam a quibuſdam Sanctis dicta eſt Pa-
„ tribus, tamen peregrina videatur, & perturbare au-
„ res quorumdam, ſuſpicantium ad peremptionem hanc
„ proferri inconfuſe, atque ſecundum ſubſiſtentiam uni-
„ tarum in Chriſto Deo noſtro duarum naturarum,
„ quod non eſt umquam, nec fiat: ſimiliter autem &
„ duarum operationum dictio multos ſcandalizet, ut po-
„ te a nullo Sanctorum, & probabilium Eccleſiæ in-
„ ſtitutorum edita.

„ IX. Inſuper & conſequens ei ſit, prædicare duas vo-
„ luntates contrarietates circa invicem habentes, tamquam
„ Deo quidem Verbo ſalutarem volente adimpleri paſſionem,
„ humanitate vero ejus obſiſtente ejus voluntati, & re-
„ ſiſtente, & perinde duo contraria volentes introducan-
„ tur; quod impium eſt. Impoſſibile quippe eſt, in
„ uno eodemque ſubjacenti duas ſimul, & erga hoc
„ ipſum contrarias ſubſiſtere voluntates. Nam ſalutaris
„ Deum gerentium Patrum doctrina manifeſte inſtruit,
„ quod numquam intellectualiter animata Domini caro
„ ſeparatim, & ex appetitu proprio contrario nutui
„ uniti ſibi ſecundum ſubſiſtentiam Dei Verbi naturalem

„ mo-

Digitized by Google

„ motum ſuum effecit; ſed quando, & qualem, & „ quantam ipſe Deus Verbum volebat: & ut plenius „ dicatur; quemadmodum corpus noſtrum regitur, & or„ natur, & diſponitur ab intellectuali, & rationali ani„ ma noſtra, ita & in Domino noſtro tota humana „ ejus conſperſio ab ipſius Verbi Deitate ſemper in omni„ bus mota, Deimobilis erat, ſecundum Nyſſenum Grego„ rium dicentem contra Eunomium ita: Secundum quod „ Deus Filius impaſſibilis utique eſt, & immortalis. Si „ qua autem paſſio de eo in Evangelio dicitur, per „ humanitatem profecto, quæ ſuſcipiebat paſſionem, hu„ juſmodi operatus eſt. Operatur quippe vere Deitas „ per corpus, quod circa ipſam eſt, omnium ſalutem; „ ut ſit carnis quidem paſſio, Dei autem operatio.

„ X. Hanc igitur, ut dictum eſt, contentionem in„ cipientem accendi videntes, neceſſarium judicavimus, „ attritas potius Sanctorum Patrum voces, & Synodi„ ce definitas ſemper ſequi, & neque quæ raro a qui„ buſdam Patribus dicti ſunt, & non circa hæc inten„ tionem habentibus, quaſi planam, & inambiguam de „ eis doctrinam exponerent, ad regulam & legem per „ omnia dogmaticam reducere; quale eſt, quod de una „ operatione ab eis dictum eſt: neque iterum quæ nul„ latenus dicta ſunt a probabilibus Patribus, nunc ve„ ro a quibuſdam proferuntur, duas inquam operationes, „ tamquam dogma Eccleſiaſticum proferre. Et ad ulti„ mum ſtetit, ac placuit, quatenus prædictus Sophro„ nius venerabilis nullum ſermonem de cetero de una, „ ſive de duabus operationibus movere debeat; ſed ei „ ſufficiat præfata, cautaque, ac trita Sanctorum Pa„ trum recta traditio, atque doctrina.

„ XI. His itaque contentus ſæpe nominatus venera-

„ bilis vir, & hæc cuſtodire certificans, petivit nos
„ etiam per epiſtolam de his ei præbere reſponſum,
„ quatenus hujuſmodi epiſtolam, ut ait, oſtendat his,
„ qui forſitan interrogare eum de prædicta quæſtione vo-
„ luerint; quod & alacriter egimus. Et ille quidem in
„ his hinc enavigavit.

„ XII. Nuper autem piiſſimus, & a Deo corona-
„ tus Dominus noſter apud Edeſſenam demorans civita-
„ tem, pios ad nos apices fecit, præcipientes, ut pa-
„ terna illa Teſtimonia defloraremus, quæ continentur
„ in Libro dogmatico, ſicut dictum eſt, facto a San-
„ ctæ momoriæ Menna ad Sanctiſſimum Vigilium de
„ una operatione, & una voluntate; & hæc a Deo
„ inſtructæ ejus Serenitati dirigere deberemus: quod &
„ ad effectum perduximus.

„ XIII. Nos autem, quæ dudum mota ſunt, me-
„ moria retinentes, & tumultum, qui ex hujuſmodi
„ motione cepit, ſcientes, ſuggeſſimus ejus piiſſimæ Se-
„ renitati per mediocrem noſtram ſuggeſtionem, & ſcri-
„ pta ad excellentiſſimum Sacellarium Imperialem con-
„ ſequenter hujus Capituli omnem ſubtilitatem, horum-
„ que, quæ a nobis de hoc actitata ſunt, & quod non
„ oporteat de hujuſmodi inquiſitione perſcrutari; ſed per-
„ manere in attrita Patrum doctrina, quam omnes con-
„ ſonanter confitentur de hujuſmodi quæſtione; & confi-
„ teri Unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus ſi-
„ mul, & homo eſt, eumdem operari Divina & hu-
„ mana; & ex eo uno eodemque incarnato Deo Ver-
„ bo, ſicut jam ſumus effati, inſeparabiliter, atque in-
„ diviſe omnem Divinam, atque humanam operationem
„ procedere. Hoc namque nos Leo Dei portitor in-
„ ſtruit, manifeſto perhibens: Agit enim utraque forma

„ cum

Digitized by Google

„ cum alterius communione, quod proprium habet. In
„ quibus reſcriptum piæ juſſionis ab ejus manſuetiſſima
„ ſuſcepimus fortitudine, quæ a Deo conſervandam ejus
„ Serenitatem condecent, continens.

„ XIV. His igitur omnibus principio ita provenienti-
„ bus, rationabile ſimul & neceſſarium judicavimus de
„ his, quæ partim memorata ſunt, cognitionem dare
„ Veſtræ fraternæ, atque unanimi Beatitudini per exem-
„ plaria, quæ a nobis directa ſunt; & adhortamur Vos
„ Sacratiſſimi, hæc omnia legere: & Deo placitam ac
„ pleniſſimam caritatem, quæ in Vobis eſt, nunc quo-
„ que ſequentes, ſi quid forte imperfecte eſt dictum,
„ hoc per datam Vobis a Deo gratiam adimplere, at-
„ que per Sanctas ſyllabas Veſtras una cum Veſtra opta-
„ bili ſoſpitate, quæque ſuper his Vobis fuerint placi-
„ ta, ſignificare.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XII.

Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Honorium I. Pontificem Summum epiſtolam, quam exhibuimus, a Monothelitis ante Sextam Synodum vitiatam fuiſſe, demonſtratur; ut Honorii I. reſcripto ab iiſdem corrupto reſponderet.

I. QUam Sergii epiſtolam exhibuimus, nobis excutienda eſt; ut quid alii ad illam adſcripſerint, internoſcamus. Corruptionis ſuſpicionem hoc primum habet: exemplum epiſtolæ hujus in Macarii Codicibus Imperatori traditis fuiſſe inventum. Macarius vero non ſolum perfidus Monothelita fuit, ſed & aliorum ſcripta adulterare conſueverat; ut cognoſcimus ex Actione octava Sextæ Synodi. Et quamvis exemplum iſtud cum exemplo altero, quod in Patriarchio erat, collatum fuiſſe dicatur; in Actione decima tertia tamen obſervavimus, etiam Patriarchii Codices a Monothelitis fuiſſe vitiatos. Sed nolo rem hanc ſuſpicione pendi, quæ teſtimoniis convinci poteſt. Nam duos ego litterarum Sergii adulterationis teſtes locupletiſſimos dabo, quos nemo poſſit refutare: Sanctum Maximum Martyrem dico, & Johannem IV. Pontificem Summum; ambo autem Sergii epiſtolam, multo ante

quam

Digitized by Google

quam in Sexta Synodo exhiberetur, legerunt, eamdemque, antequam vitiaretur, præ manibus habuerunt. Sergius enim, ut in Monothelitarum hiſtoria animadvertimus, epiſtolam ad Honorium dedit anno ſexcenteſimo trigeſimo quarto, quæ demum ſeptem & quadraginta poſt annis in Sexta Synodo fuit exhibita, anno ſcilicet ſexcenteſimo octogeſimo primo: interim apparuit nuſquam; ſed ejus meminerunt dumtaxat Pyrrhus & Paullus Monothelitæ; ex orthodoxis itidem duo ſoli, quos ſupra nominavi, Sanctus Maximus Martyr, & Johannes IV. Pontifex Summus, qui & verba nonnulla epiſtolæ illius retulerunt; Johannes IV. ſcilicet in Apologia, quam pro Honorio I. ſcripſit ad Conſtantinum Imperatorem anno ſexcenteſimo quadrageſimo primo: Sanctus Maximus vero in Diſputatione cum Pyrrho habita anno ſexcenteſimo quadrageſimo quinto: uterque nimirum Sergii epiſtolam memorarunt paullo poſt, quam ſcripta fuerat, & multo, ante quam in Sexta Synodo appareret. Atque ex utroque cognoſcimus, aliam fuiſſe epiſtolam, quam Sergius ad Honorium ſcripſit, ab ea, quæ poſtmodum in Sexta Synodo ejus nomine lecta fuit.

II. Primum a Sancto Maximo teſtimonium ſumamus. In quo quanta vis ſit intelligemus, ſi eorum meminerimus, quæ in Actione tertia, & decima tertia Sextæ Synodi agitata fuere de Libello, quem Sancto Mennæ Epiſcopo Conſtantinopolitano affinxerant Monothelitæ. Illi enim, ut auctoritatem errori ſuo, ſi fieri poſſet, conciliarent, Libellum quemdam ab ſe compoſitum evulgarunt, cui titulus erat: *Sermo Sanctæ memoriæ Mennæ Archiepiſcopi Conſtantinopoleos ad Vigilium Beatiſſimum Papam Romanum, De eo quod una ſit Chriſti voluntas:*

Ut

Ut non ex Scriptoris nomine ſolum, ſed multo magis ex ejus, cui inſcriptus fuerat, amplitudine, maximi apud omnes Libellus ponderis eſſet; ac proinde Monothelitica hæreſis a Sancto Menna tradita, & a Vigilio Romano Pontifice, eo Libello ſuſcepto, probata videretur. Qua de re nos plura in epitome Actionis decimæ tertiæ diximus; ubi etiam conjecturam fecimus, a Sergio Epiſcopo Conſtantinopolitano Libellum illum Sancti Mennæ nomine fuiſſe conſcriptum; cum illum Sergius primus memoraverit, eumdemque ad multos conſortes ſuos miſerit.

III. Cum igitur Sanctus Maximus cum Pyrrho Sergii ſucceſſore diſputaret, ejuſque argumenta, quibus unam in Chriſto voluntatem eſſe aſſeverabat, conviciſſet; ad incitas redactus Pyrrhus, *Quomodo igitur*, inquit, *Vigilius tum Pontifex Romanus Libellum a Menna Epiſcopo hujus urbis regiæ oblatum, qui unam voluntatem continebat, accepit: idque, cum eſſet ei oſtenſus in ſecreto regio Imperatoris, qui tunc erat?* Ad quæ Sanctus Maximus Pyrrho reſpondit: *Admiror, quomodo, Patriarchæ cum ſitis, audetis mentiri. Qui tibi anteceſſit* Sergius *in ſuis ad Honorium litteris ſcripſit: Commonefactum quidem fuiſſe Vigilium de eo Libello, non autem oblatum, nec oſtenſum: ipſe vero in tua ad Johannem Papam epiſtola dixiſti, oblatum eſſe & oſtenſum*. Sergius, ut Sanctus Maximus teſtificatur, in ſua ad Honorium epiſtola Libelli hujus mentionem injecit, ſcripſitque, Vigilium Pontificem Summum *commonefactum fuiſſe* de eo Libello; non autem ſcripſerat, eumdem Libellum Vigilio *oblatum* aut *oſtenſum fuiſſe*. Itaque aut ea, quæ Sanctus Maximus a Sergio ſcripta fuiſſe refert, in Sergii epiſtola exſtent

opor-

oportet, ſi pura, & ſincera eſt; aut ſi aliud exſtat, perſpicuum fit, epiſtolam fuiſſe corruptam. Verba verbis nunc conferamus.

In epiſtola Sergii ad Honorium data, hæc de Mennæ Libello ſcripta erant ex Sancti Maximi teſtimonio: Vigilium Pontificem Summum *commonefactum fuiſſe de eo Libello*; non autem oblatum, nec oſtenſum.	In epiſtola Sergii nomine in Sexta Synodo Actione duodecima hæc ſcripta ſunt de eodem Libello: *Sermonem Mennæ porrectum ab eo hic præſenti Vigilio*: ideſt oſtenſum & oblatum.

Sergius ſcilicet ſcripſerat, Vigilium de eo Libello certiorem ſolummodo factum fuiſſe; non autem Vigilio traditum, aut oſtenſum: & falſificus, qui Sergii epiſtolam adulteravit, verba, quæ aliam ſententiam redderent, inſeruit: Vigilio nempe, dum Conſtantinopoli eſſet, Mennæ Libellum fuiſſe traditum: ut Vigilio etiam invidiam conflaret, atque ipſe quoque cum Honorio damnaretur: quod jam in epitome Actionis decimæ quartæ animadvertimus.

IV. Porro ubi ſemel Sergii epiſtolam a Monothelitis vitiatam fuiſſe deprehendimus, quam illi fidem deinceps tribuemus? Nullam profecto; præſertim cum huic rei Johannis IV. Pontificis Summi teſtimonium acceſſerit. Nam cum ille audiſſet, Pyrrhum Honorii I. reſponſo ad Sergium dato ad hæreſim ſuam confirmandam abuti, atque litteris ſuis divulgare, Honorium idem cum Sergio ſenſiſſe, tertio poſt Honorii mortem anno Apologiam pro Honorio faciendam curavit, quam ad Conſtantinum Imperatorem miſit anno ſexcenteſimo quadra-

Digitized by Google

geſimo primo: in qua Apologia conficienda Johannes IV. eo ipſo uſus eſt Scriptore, qui Honorii litteras ad Sergium ſcripſerat; ut ex Sancto Maximo diſcimus. Ille videlicet & quid Sergius ſcripſerat, optime noverat; & recenti negotio, etiamſi voluiſſet, mentiri non poterat. Hæc autem habet in Apologia: *Sergius Patriarcha Honorio ſanctæ recordationis Romanæ urbis Pontifici ſignificavit: Quod quidam in Redemptore noſtro Domino Jeſu Chriſto duas contrarias dicerent voluntates. Quo præfatus Papa comperto, reſcripſit ei: Quia Salvator noſter ſicut eſſet monadicus unus, ita & valde mirabiliter ſuper omne genus hominum conceptus, & natus eſſet .... In diſpenſatione itaque ſanctæ carnis ſuæ duas numquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipſius... Sed nequis nonnumquam minus intelligens reprehendat, quamobrem de humana tantum natura, & non etiam de Divina* Honorius *dicere ſciatur? Debet, qui ſuper hoc ambigit, ſcire; quoniam ad hoc facta eſt reſponſio ad jam dicti Patriarchæ interrogationem*.

V. Ex quibus cognoſcimus, epiſtolam illam, quæ Sergii nomine lecta fuit in Sexta Synodo, quamque nos exhibuimus, totam fere adulterinam eſſe. Nihil enim de Cyro, nihil de una vel duabus Chriſti operationibus, nihil de duabus naturis Divina & humana Sergius ad Honorium ſcripſit, quibus tamen tota epiſtola, quæ Sergii nomen præfert, conſtat. Sed voluntatis dumtaxat Sergius in ſua epiſtola ad Honorium meminit; atque cautionem adhibuit omnem, ne quid de Divina Chriſti natura ſibi excideret, ne Honorio ſuboleret, quod ipſe machinabatur. Et, quemadmodum Johannes IV. in ſua Apologia narrat; ſic texuit epiſtolam Sergius, ut apud Honorium quoſdam criminari videretur, qui duas in Chri-

Digitized by Google

Chriſto contrarias voluntates dicerent, a quorum ipſe opinione refugeret; ſic verba compoſuit, ut illa Honorius de duabus voluntatibus ſpiritus & carnis in Chriſti humana natura deberet accipere, ac in eamdem ſententiam reſpondere. Nihil igitur de Cyro, nihil de Eutychianis ad Eccleſiam catholicam ab eo revocatis, nihil de una vel duabus operationibus, nihil de duabus naturis Sergius ad Honorium ſcripſit: ex quibus cum perſpicue Honorius intelligere poſſet, Sergium loqui de voluntate Divina, & humana, Johannes IV. in ſua Apologia impudenter mentiretur, cum dicit, Honorium ad interrogata Sergio reſpondiſſe: *Facta eſt*, inquit Johannes IV. *reſponſio ad dicti Patriarchæ interrogationem*.

VI. Sed neque quæ de Sophronio in ea epiſtola numero VII. X. & XI. exſtant, Sergio ſunt adſcribenda. Ea enim omnia & falſa ſunt, neque a Sergio ſcribi poterant. Nam ad Chriſti operationes pertinent, de quibus Sergius verbum nullum fecit. Deinde qui fieri poteſt, ut Sergius ſcriberet, Sophronium Sanctorum Patrum teſtimonia pro catholico dogmate proferre non potuiſſe? Cum *in duobus libris ſexcenta teſtimonia Patrum ad evictionem impietatis* Sergio & Cyro Sophronius exhibuerit; quod Stephanus Dorenſis Epiſcopus teſtificatur in Secretario Secundo Concilii Lateranenſis. Quid quod in Sergii epiſtola numero XI. ſcriptum eſt, Sophronium tamdem Sergio aſſenſum fuiſſe, & cum eo conſenſiſſe? Cum tamen Sophronius, poſtquam Sergium redarguit, epiſtolam Synodicam ſcripſerit, eamque ad Honorium I. miſerit, in qua catholicam Fidem adverſus Monothelitas egregie profeſſus eſt.

VII. Perſpicuum fit itaque, epiſtolam, quæ Sergii nomine in Sexta Synodo lecta fuit, quamque nos exhi-

Digitized by Google

buimus, ita fuiſſe corruptam, vitiatam, adulteratam, ut longe alia ſit ab ea, quam Sergius ad Honorium miſerat. Nam Sergius ſua ad Honorium epiſtola hoc illi ſignificavit: quoſdam eſſe, qui in Redemptore noſtro Domino Jeſu Chriſto duas inter ſe contrarias voluntates dicerent: de natura autem Divina, de una vel duabus Chriſti operationibus nihil quicquam Sergius poſuerat; ut ex Johannis IV. Apologia cognoſcimus. Deinceps memoraverat quidem Libellum Mennæ de una in Chriſto voluntate, ejuſque Libelli Vigilium Romanum Pontificem certiorem factum fuiſſe ſcripſerat; non tamen Libellum illi traditum, ut Sanctus Maximus teſtificatur. Atqui in hac epiſtola Sergii nomine in Sexta Synodo lecta, ſcriptum exſtat: Libellum illum Mennæ Vigilio Pontifici Summo fuiſſe traditum. Multa præterea in ea habentur de una vel duabus Chriſti operationibus, & de natura Divina, a quibus Sergius conſulto abſtinuerat, ut Honorio imponere poſſet. Cyri hiſtoriam illam, ſeu magis fabulam de Eutychianis ad Eccleſiam ab eo revocatis, de qua maxime celatum Honorium oportuit, ne fraudem præſentiſceret, Sergius profecto non narravit: attamen exſtat in epiſtola, quæ Sergii nomen præfert. Sancti Sophronii mentionem Sergius ne injicere quidem potuit: nam & falſum eſt, Sophronium Patrum Teſtimonia Sergio non objeciſſe, aut illi tamdem fuiſſe aſſenſum; tum autem crabrones, ut in proverbio eſt, irritaſſet: & hæc tamen epiſtola habet. Atque ut rem in pauca conferamus: Sergius cum ad Honorium ſcripſit, in hoc tota mente incubuit, ut orthodoxus Honorio videretur, eoſque reprobare, qui duas in Chriſti humanitate voluntates contrarias dicerent, ſpiritus ſcilicet & carnis; ac proinde ab omnibus con-

ſulto

Digitized by Google

ſulto abſtinuit, quæ hæreſim, quam fovebat, indicare poſſent. Et quamvis doloſe ad Honorium epiſtolam ſcripſerit, illa tamen hæreſim non redolebat: quamobrem in Concilio Lateranenſi, in quo Sergii ſcripta ad hæreſim illius convincendam producta fuerunt, ea epiſtola proferri non potuit. Qui vero eam corruperunt, hoc fuit propoſitum, epiſtolam eam Sergio affingere, cui reſponſum Honorii nomine itidem confictum mirifice congrueret, & verba verbis quaſi demenſa, & paria reſponderent. Quod quando & a quibus factum fuerit, cum de Honorii litterarum corruptione diſſeremus, inveſtigabimus.

VIII. Non deerunt qui dicant: Etſi a nobis argumenta allata fuerint ad probandam litterarum Sergii corruptionem, negari non poſſe tamen, quæ in Sergii epiſtola exſtant numero VIII. & IX. ubi litterarum Sergii ſumma, cauſſaque tota conſiſtit, eadem ipſa totidem verbis in *Ecthesi* ſcripta eſſe, quam Heraclii Imperatoris nomine Sergius compoſuit: neminem ſcilicet unam aut duas operationes in Chriſto dicere debere, Sanctos Patres duas operationes dixiſſe numquam, ex duabus operationibus ſequi duas fuiſſe in Chriſto contrarias voluntates, aliaque ejuſmodi Monothelitarum effata. Cum igitur ea Sergii eſſe verba & ſententias, ex *Ecthesi* ab ipſo Sergio conſcripta manifeſtum ſit: quid eſt, cur non eadem verba & ſententias Sergium in litteris ad Honorium datis uſurpaſſe dicamus?

IX. Eo igitur res adducta eſt, ut nos demonſtrare oporteat, Sergium ſuis illis verbis, quibus in *Ecthesi* conficienda uſus eſt, in litteris ad Honorium ſcriptis uti non potuiſſe, atque adeo illa non uſurpaſſe. Itaque ex ipſis Sergii ſcriptis ſtudium ejus & conſilium aperiam,

Digitized by Google

riam, ut planum fiat, cum ad Honorium Sergius ſcripſit, à verbis illis abſtinere debuiſſe. Principio Sergius unam operationem, & unam itidem voluntatem in Chriſto eſſe ſentiebat; quod non ſemel ipſe declaravit: quemadmodum ex ſua pſeudo-ſynodo habita anno ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, & ex ejus epiſtola ad Cyrum eodem tempore data videre licet. In hac permanebat Sergius ſententia etiam anno ſexcenteſimo trigeſimo tertio, quando Cyri Capitulum de una in Chriſto operatione probavit. At ubi Cyri, & Sergii hæreſi vehementer a Sancto Sophronio fuit reclamatum, metuere ſibi Sergius cepit, atque de ſententia paullulum decedere viſus eſt. Non enim poſtmodum unam operationem aperte pronunciavit, ne Eutychianus audiret; cum energia ſive operatio naturam ſequatur, & pro naturarum numero multiplicetur; quemadmodum in principio Hiſtoriæ hæreſis hujus obſervavimus. Novam autem rationem Sergius iniit; & neque unam, neque duas operationes dici patiebatur. Non unam, ne una dumtaxat in Chriſto natura dici videretur; neque duas, ne duæ voluntates inter ſe contrariæ in Chriſto eſſent: quaſi vero duæ voluntates in Chriſto eſſe non poſſent pro naturarum numero, niſi ſimul etiam eſſent inter ſe contrariæ: quod Sanctus Martinus in Concilio Lateranenſi Secretario primo Sergio impudentiæ tribuit, quia dixerat, *ſequi operationem voluntatem*: hoc eſt, *ex duabus operationibus*, ut Sergius in *Ecthesi* ſcripſit, *ſequi ut duas confiteamur voluntates contrarie ad invicem venientes*: Sed hoc Sergius prætexit nomine hæreſim; cum nulla illum ratio cogeret, ut voluntates duas inter ſe contrarias in Chriſto diceret, quando neutra a lege æterna diſſideret. Sergius itaque uſque ad annum ſexcenteſimum

Digitized by Google

ſimum trigeſimum tertium unam operationem, & unam voluntatem dixerat: anno autem ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, quando *Ecthesim* conſcripſit, neque unam, neque duas operationes dici voluit: ac proinde Sergius poſt annum ſexcenteſimum trigeſimum tertium, & ante annum ſexcenteſimum trigeſimum ſextum, eo ſcilicet tempore medio, quo & illius hæreſim Sanctus Sophronius increpuit, & ad Honorium ille ſcripſit, ſententiam, vel certe dicendi rationem immutavit. Antequam vero illam foras proferret, Romani Pontificis auctoritate munitam oportuit, ut omnes illi facile aſſentirentur. Priuſquam igitur *Ecthesim* Sergius conſcriberet, qua novum illud ſuum commentum expoſuit, non eſſe in Chriſto dicendas duas operationes, ad Honorium litteras dedit, ut ad partes ſuas illum, ſi fieri poſſet, traheret. Quid autem Sergius ad Honorium ſcriberet? Id profecto, quod ſibi nihil nocere, quod Honorius multum probare, quod propoſitum ſuum plurimum juvare poſſet. Non igitur ſcriberet, non eſſe in Chriſto dicendas duas operationes. Nam & hæreſim ſuam continuo prodidiſſet, neque dicto opus erat: ſed ſatis Sergius habebat, ſi ab Honorio extorqueret, ut fateretur, unam in Chriſto eſſe voluntatem; cum jam Sergius ex voluntatum numero numerum operationum conficeret, & duas operationes dici nollet, ne duæ dicerentur voluntates. Siquidem putabat, facilius perſuadere poſſe de una voluntate, quam de una operatione: atque in ſpem venerat facile perſuadendi de voluntate; quod fallaciam hanc excogitaverat. Simulabat enim velle ſe a Chriſto voluntatem illam dumtaxat excludere, quæ carnis dicitur, ut una voluntas fuerit in Chriſto, non duarum voluntatum pugna. Quod ut efficere poſſet, ita verba com-

pone-

Digitized by Google

ponere debuit, ut de Chriſti ſola humana natura loqui videretur, in qua non duæ voluntates ſpiritus, & carnis inter ſe contrariæ, ut in nobis contingit, eſſent; ſed una & ſola quæ ſpiritus voluntas dicitur.

X. Quis igitur non videat, quanta Sergio adhibenda cautio fuerit, ut ne quid ſibi in epiſtola ad Honorium excideret, quod aliquo modo ad Chriſti naturam Divinam referri poſſet? Cum hactenus ad Honorium ſcripſerit, ut unius in Chriſto voluntatis profeſſionem ab ipſo eliceret, qua deinceps ad ſuam ſtabiliendam ſententiam abuti poſſet. Sed ſuo gladio jugulatus eſt Sergius. Nam quemadmodum epiſtolam texuit, quæ tota Chriſti humanam naturam & voluntatem itidem reſpiceret: ita Honorius illi ad interrogata reſpondit, ita mentem ſuam apertiſſime atque planiſſime explicavit, ut cum reſponſum illud Honorii in ſententiam ſuam Sergius nullo modo detorquere poſſet, idem ſuppreſſerit. Et hinc factum eſt, ut, cum deinceps *Ecthesim* Sergius conſcripſerit, in qua unam in Chriſto voluntatem dixit, neque Honorium ſententiæ hujus auctorem laudaverit, neque ejus meminerit quidem. Quinimmo *Ecthesim* non ante foras protulit Sergius, quam Honorius obierit; ne fraudem, quam in texenda epiſtola adhibuerat, Honorius illi exprobraret. Ex quibus quiſque intelligere poteſt, quæ Sergius in *Ecthesi* ſcripſit, ad Honorium ſcribere non potuiſſe: & quamvis verba, in epiſtolam Sergii nomine in Sexta Synodo exhibitam inſerta, ex *Ecthesi* ſumpta fuerint; ac proinde Sergii verba eſſe certum ſit, ea tamen in litteris, quas ad Honorium Sergius dedit, locum habere non poſſe. Sed ſatis de epiſtola Sergii: nunc de Honorii litteris videamus; earumque exemplum primum exhibeamus.

CAPUT

CAPUT XIII.

Epiſtola Honorii I. Pontificis Summi ad Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum exhibetur exemplum, quod ſcriptum exſtat in Actione duodecima Sextæ Synodi.

„ I. SCripta fraternitatis veſtræ ſuſcepimus, per
„ quæ contentiones quaſdam, & novas vocum
„ quæſtiones cognovimus introductas per Sophro-
„ nium quondam tunc monachum, nunc vero
„ ex auditu Epiſcopum Jeroſolymitanæ urbis conſtitu-
„ tum adverſus fratrem noſtrum Cyrum Alexandriæ An-
„ tiſtitem, unam operationem Domini noſtri Jeſu Chri-
„ ſti converſis ex hæreſi prædicantem. Qui denique ad
„ veſtram fraternitatem Sophronius veniens, querelamque
„ hujuſmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit
„ de his, quæ a vobis fuerat inſtructus paginalibus ſibi
„ ſyllabis reſerari: quarum litterarum ad eumdem So-
„ phronium directarum ſuſcipientes exemplar, & intuen-
„ tes ſatis provide circumſpecteque fraternitatem veſtram
„ ſcripſiſſe, laudamus novitatem vocabuli auferentem,
„ quod poſſet ſcandalum ſimplicibus generare.

„ II. Nos enim, in quo percepimus, oportet ambu-
„ lare. Enim vero duce Deo perveniemus uſque ad
„ menſuram rectæ Fidei, quam Apoſtoli veritatis, Scri-
„ pturarum Sanctarum funiculo extenderunt, confitentes

„ Dominum Jeſum Chriſtum mediatorem Dei & homi-
„ num, operatum Divina, media humanitate Verbo
„ Deo hypoſtatice unita; eumdemque operatum humana
„ ineffabiliter, atque ſingulariter aſſumpta carne, diſcre-
„ te, inconfuſe, atque inconvertibiliter plena Divinita-
„ te; & qui coruſcavit in carne plena Divinis mira-
„ culis, ipſe eſt, & carneus effectus plene Deus, &
„ homo: paſſiones & opprobria patitur unus mediator
„ Dei, & hominum in utriſque naturis, Verbum caro
„ factum, & habitavit in nobis, ipſe filius hominis de
„ cœlo deſcendens, unus atque idem, ſicut ſcriptum eſt,
„ crucifixus Dominus majeſtatis, dum conſtet Divinita-
„ tem nullas poſſe perpeti humanas paſſiones: & non
„ de cœlo, ſed de Sancta eſt aſſumpta caro Dei ge-
„ nitrice: nam per ſe Veritas in Evangelio ita inquit:
„ Nullus aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcen-
„ dit, filius hominis, qui eſt in cœlo: profecto nos
„ inſtruens, quod Divinitati unita eſt caro paſſibilis
„ ineffabiliter, atque ſingulariter, ut diſcrete, atque in-
„ confuſe, ſic indiviſe videretur conjungi. Ut nimirum
„ ſtupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque na-
„ turarum differentiis cognoſcatur uniri. Cui Apoſto-
„ lus concinens, ad Corinthios ait: Sapientiam loqui-
„ mur inter perfectos, ſapientiam vero non hujus ſecu-
„ li, neque principum hujus ſeculi, qui deſtruuntur;
„ ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſcondi-
„ tam, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in glo-
„ riam noſtram, quam nemo principum hujus ſeculi
„ cognovit; ſi enim cognoviſſent, numquam Dominum
„ majeſtatis crucifixiſſent. Dum profecto Divinitas nec
„ crucifigi potuit, nec paſſiones humanas experiri, vel
„ perpeti; ſed propter ineffabilem conjunctionem huma-

„ næ,

Digitized by Google

„ næ ; Divinæque naturæ , icirco utrobique & Deus„ dicitur pati , & humanitas ex cœlo cum Divini„ tate deſcendiſſe.

„ III. Unde & unam voluntatem fatemur Domini„ noſtri Jeſu Chriſti , quia profecto a Divinitate aſſumpta„ eſt noſtra natura , non culpa ; illa profecto , quæ ante„ peccatum creata eſt , non quæ poſt prævaricationem„ vitiata . Chriſtus enim Dominus in ſimilitudine carnis„ peccati veniens , peccatum mundi abſtulit ; & de ple„ nitudine ejus omnes accepimus : & formam ſervi ſu„ ſcipiens habitu inventus eſt ut homo ; quia ſine pec„ cato conceptus de Spiritu Sancto , etiam abſque pec„ cato eſt partus de Sancta & immaculata Virgine Dei„ genitrice , nullum experiens contagium vitiatæ naturæ.
„ Carnis enim vocabulum duobus modis Sacris eloquiis„ boni malique cognovimus nominari ; ficut ſcriptum eſt:„ Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis ; quia„ caro ſunt . Et Apoſtolus : Caro & ſanguis regnum„ Dei non poſſidebunt . Et rurſum : Mente ſervio legi„ Dei , carne autem legi peccati : Et , video aliam le„ gem in membris meis , repugnantem legi mentis meæ ,„ & captivum me trahentem in legem peccati , quæ„ eſt in membris meis . Et alia multa hujuſmodi in„ malo abſolute ſolent intelligi , vel vocari : In bo„ no autem ita , Iſaja Propheta dicente : Veniet om„ nis caro in Jeruſalem , & adorabunt in conſpectu„ meo . Et Job : In carne mea videbo Deum . Et„ alias : Videbit omnis caro ſalutare Dei : Et alia di„ verſa.

„ IV. Non eſt itaque aſſumpta , ficut præfati ſu„ mus , a Salvatore vitiata natura , quæ repugnaret le„ gi mentis ejus , ſed venit quærere , & ſalvare quod

 „ perie-

„ perierat, ideſt, vitiatam humani generis naturam.
„ Nam lex alia in membris, aut voluntas diverſa non
„ fuit, vel contraria Salvatori, quia ſuper legem natus
„ eſt humanæ conditionis. Et ſiquidem ſcriptum eſt:
„ Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus, qui
„ miſit me, Patris. Et: Non quod ego volo, ſed
„ quod tu vis, Pater: & alia hujuſmodi: Non ſunt
„ hæc diverſæ voluntatis, ſed diſpenſationis humanitatis
„ aſſumptæ. Iſta enim propter nos dicta ſunt, quibus
„ dedit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus: pius Ma-
„ giſter diſcipulos imbuens, ut non ſuam unuſquiſque
„ noſtrum, ſed potius Domini in omnibus præferat vo-
„ luntatem.

„ V. Via igitur regia incedentes, & dextrorſum,
„ vel ſiniſtrorſum venatorum laqueos circumpoſitos evitan-
„ tes; ne ad lapidem pedem noſtrum offendamus, Idu-
„ mæis, ideſt terrenis, atque hæreticis propria relin-
„ quentes, nec veſtigio quidem pedis ſenſus noſtri ter-
„ ram, ideſt pravam eorum doctrinam omnimodo at-
„ terentes, ut ad id, quo tendimus, hoc eſt, ad fines
„ patrios pervenire poſſimus, ducum noſtrorum ſemita
„ gradientes; & ſi forte quidam balbutientes, ut ita di-
„ cam, niſi ſunt proferentes exponere, formantes ſe in
„ ſpeciem Doctorum, ut poſſent mentes imbuere audi-
„ torum, non oportet ad dogmata Eccleſiaſtica retor-
„ quere, quæ neque Synodales apices ſuper hoc exami-
„ nantes, neque auctoritates Canonicæ viſæ ſunt expla-
„ naſſe, ut unam vel duas energias aliquis præſumat
„ Chriſti Dei prædicare; quas neque Evangelicæ, vel A-
„ poſtolicæ litteræ, neque Synodalis examinatio ſuper his
„ habita viſæ ſunt terminaſſe: niſi fortaſſis, ſicut præ-
„ fati ſumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt, con-

„ deſcen-

Digitized by Google

„ deſcendentes ad informandas mentes, atque intelligentias parvulorum, quæ ad Eccleſiaſtica dogmata trahi „ non debent, quæ unuſquiſque in ſenſu ſuo abundans „ videtur, ſecundum propriam ſententiam explicare.

„ VI. Nam quia Dominus Jeſus Chriſtus, Filius ac „ Verbum Dei, per quem facta ſunt omnia, ipſe ſit „ unus & idem operans Divina, & humana plene, Sa„ cræ Litteræ luculenter demonſtrant. Utrum autem „ propter opera Divinitatis, & humanitatis, una an „ geminæ operationes debeant derivatæ dici, vel intelli„ gi, ad nos iſta pertinere non debent, relinquentes ea „ grammaticis, qui ſolent parvulis exquiſita derivando „ nomina venditare. Nos enim non unam operationem, „ vel duas Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Sanctum „ Spiritum, Sacris Litteris percepimus, ſed multiformi„ ter cognoſcimus operatum. Scriptum eſt enim: Si quis „ Spiritum Chriſti non habet, hic ejus non eſt. Et „ alibi: Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in „ Spiritu Sancto: Diviſiones vero gratiarum ſunt, idem „ autem Spiritus; & diviſiones miniſtrationum ſunt, idem „ autem Dominus; & diviſiones operationum ſunt, idem „ vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Si enim „ diviſiones operationum ſunt multæ, & has omnes „ Deus in membris omnibus pleni corporis operatur; „ quanto magis Capiti noſtro Chriſto Domino hæc poſ„ ſunt pleniſſime coaptari? Ut Caput, & Corpus unum „ ſit perfectum, ut profecto occurrat, ſicut ſcriptum „ eſt, in virum perfectum, in menſuram ætatis pleni„ tudinis Chriſti. Si enim in aliis, ideſt, in membris „ ſuis Spiritus Chriſti multiformiter operatur, in quo „ vivunt, moventur, & ſunt: quanto magis per ſe-

„ met-

Digitized by Google

„ metipſum mediatorem Dei, & hominum plene, ac„ perfecte, multiſque modis, & ineffabilibus confite„ ri nos communione utriuſque naturæ condecet opera„ tum?

„ VII. Et nos quidem ſecundum ſanctiones Divinorum „ eloquiorum oportet ſapere vel ſpirare, illa videlicet „ refutantes, quæ quidem novæ voces noſcuntur Sanctis „ Dei Eccleſiis ſcandala generare; ne parvuli aut dua„ rum operationum vocabulo offenſi, ſectantes Neſtoria„ nos nos veſana ſapere arbitrentur: aut certe, ſi rur„ ſus unam operationem Domini noſtri Jeſu Chriſti fa„ tendam eſſe cenſuerimus, ſtultam Eutychianiſtarum at„ tonitis auribus dementiam fateri putaremur: præca„ ventes, ne quorum inania arma combuſta ſunt, eo„ rum cineres redivivos ignes flammivomarum denuo re„ novent quæſtionum, ſimpliciter, atque veraciter con„ fitentes Dominum Jeſum Chriſtum unum operatorem „ Divinæ atque humanæ naturæ, electius arbitrantes, „ ut vani naturarum ponderatores, otioſe negotiantes, „ & turgidi adverſus nos inſonent vocibus ranarum phi„ loſophi, quam ut ſimplices, & humiles ſpiritu po„ puli Chriſtiani poſſint remanere jejuni. Nullus enim „ decipiet per philoſophiam, & inanem fallaciam diſci„ pulos piſcatorum, eorum doctrinam ſequentes; omnia „ enim argumenta ſcopuloſa diſputationis callidæ, atque „ fluctivaga in eorum retia ſunt colliſa.

„ VIII. Hæc nobiſcum fraternitas veſtra prædicet, „ ſicut & Nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus; hor„ tantes vos, ut unius vel geminæ novæ vocis indu„ ctum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiſ„ cum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei vivi,

„ Deum

Digitized by Google

„ Deum veriſſimum, in duabus naturis operatum Divi-
„ nitus atque humanitus, Fide orthodoxa, & unitate
„ catholica prædicetis. *Subſcriptio*. Deus te incolumem
„ cuſtodiat dilectiſſime, atque Sanctiſſime frater.

CAPUT

CAPUT XIV.

Epiſtolæ alterius Honorii I. ad Sergium exhibetur exemplum, quod ſcriptum exſtat in Actione decima tertia Sextæ Synodi.

„ I. DIlectiſſimo fratri Sergio Honorius. Scripta dilectiſſimi filii noſtri Syrici Diaconi . . . . . *Deſunt nonnulla; deinde hæc ſequuntur*. Nec non & Cyro fratri Noſtro Alexandriæ civitatis Præſuli, quatenus novæ adinventionis unius, vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei Eccleſiarum præconio nebuloſarum concertationum caligines offundi non debeant, vel aſpergi; ut profecto unius vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum ex prædicatione Fidei eximatur. Nam qui hæc dicunt, quid aliud niſi juxta unius vel geminæ naturæ Chriſti Dei vocabulum, ita & operationem unam vel geminam ſuſpicantur? Super quod clara ſunt Divina teſtimonia. Unius autem operationis vel duarum eſſe vel fuiſſe mediatorem Dei & hominum Dominum Jeſum Chriſtum, ſentire & promere, ſatis ineptum eſt.

„ II. Et quidem, quantum ad inſtruendam notitiam ambigentium, Sanctiſſimæ fraternitati noſtræ, per eam

„ inſi-

Digitized by Google

„ inſinuandam prævidimus. Ceterum, quantum ad dog„ ma Eccleſiaſticum pertinet, quæ tenere vel prædicare „ debemus propter ſimplicitatem hominum, & amputan„ das inextricabiles quæſtionum ambages, ſicut ſuperius „ diximus, non unam vel duas operationes in Mediato„ re Dei, & hominum definire, ſed utraſque naturas „ in uno Chriſto unitate naturali copulatas, cum alte„ rius communione operantes, atque operatrices confiteri „ debemus. Et Divinam quidem, quæ Dei ſunt, ope„ rantem; & humanam, quæ carnis ſunt, exequentem, „ non diviſe, neque confuſe, aut convertibiliter Dei „ naturam in hominem, & humanam in Deum con„ verſam edocentes; ſed naturarum differentiam inte„ gram confitentes. Unus enim atque idem eſt humilis „ & ſublimis, æqualis Patri & minor Patre, ipſe an„ te tempora, natus in tempore eſt: per quem facta „ ſunt ſecula, factus in ſeculo eſt: & qui legem de„ dit, factus ſub lege eſt, ut eos qui ſub lege erant, „ redimeret: ipſe crucifixus, ipſe chirographum, quod „ erat contra nos, evacuans in Cruce, de poteſtatibus, „ & principatibus triumphavit.

„ III. Auferentes ergo, ſicut diximus, ſcandalum no„ vellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas „ operationes definientes prædicare, ſed pro una, quam „ quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operato„ rem Chriſtum Dominum in utriſque naturis veridice „ confiteri: & pro duabus operationibus, ablato geminæ „ operationis vocabulo, ipſas potius duas naturas, ideſt, „ Divinitatis & carnis aſſumptæ in una perſona Unige„ niti Dei Patris, inconfuſe, indiviſe, atque inconver„ tibiliter nobiſcum prædicare propria operantes.

„ IV. Et hoc quidem Beatiſſimæ fraternitati veſtræ

Digitized by Google

„ inſinuandum prævidimus , quatenus unius confeſſionis „ propoſitum unanimitati veſtræ Sanctitatis monſtremus ; „ ut profecto in uno ſpiritu anhelantes pari Fidei documento conſpiremus.

„ V. Scribentes etiam communibus fratribus Cyro , & „ Sophronio Antiſtibus , ne novæ vocis , ideſt unius vel „ geminæ operationis vocabulo inſiſtere vel immorari videantur : ſed abraſa hujuſmodi novæ vocis appellatione , unum Chriſtum Dominum nobiſcum in utriſque „ naturis Divina , vel humana prædicent operantem.

„ VI. Quamquam hos , quos ad Nos prædictus frater , & coepiſcopus noſter Sophronius miſit , inſtruximus , ne duarum operationum vocabulum deinceps „ prædicare innitatur ; quod inſtantiſſime promiſerunt prædictum virum eſſe facturum , ſi etiam Cyrus frater , „ & coepiſcopus noſter ab unius operationis vocabulo diſceſſerit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XV.

Argumenta ex ipſis Monothelitis ducta, quibus Honorii I. epiſtolam alteram confictam, alteram vero interpolatam fuiſſe cognoſcimus.

I. QUI ex iis, quæ de Sergii epiſtola hactenus a nobis dicta ſunt, perſuaſum habent, illam ita fuiſſe a Monothelitis corruptam, ut alia omnino ab ea, quam Sergius ad Honorium ſcripſit, in Sexta Synodo exhibita fuerit; facile illis quoque perſuaderi arbitror de Honorii litterarum adulteratione, cum ex altero alterum ſequatur, & idcirco Sergii epiſtola interpolata fuerit, ut Honorii conficto reſponſo congruere poſſet. Si quis tamen eſſet, in quo ſcrupulus aliquis reſideret, hunc illi ex animo evellent argumenta, quæ nobis ſuppetunt ad probandam litterarum Honorii corruptionem: quæ tot, tanta, ac tam gravia ſunt, ut non Honorii ſolum, ſed Sergii etiam, quod conſequens eſt, epiſtolarum falſitatem convincant. Honorius quidem Sergii epiſtolæ reſpondit: ſed quemadmodum Sergius non ea ad Honorium ſcripſit, quæ Monothelitæ ipſum ſcripſiſſe finxerunt; ita neque Honorius ea Sergio reſpondit, quæ in litteris exſtant ejus nomine in Sexta Synodo propoſitis. De quibus nos jam ſic principio ſtatuimus: ex duabus epiſtolis, quæ Honorio I. tribuuntur, quaſque nos exhibuimus, poſteriorem totam

Digitized by Google

a Monothelitis Honorio fuiſſe ſuppoſitam, atque iccirco ab eo totam abjudicandam; priorem vero magnam partem ab iiſdem fuiſſe fabricatam, atque Honorii epiſtolæ aſſutam: ut, ſi quæ Honorius ad Sergium ſcripſit, ab illis, quæ Monothelitæ adſcripſerant, ſecernantur, tum vero nihil erit, quod Honorio culpæ tribui poſſit.

II. Quæ litteris illis, quæ Honorii I. nomen præferunt, continentur, omnia ad duo rediguntur capita; nimirum ad dictionem unius voluntatis in Chriſto, & ad unius vel duarum operationum ſilentium. In priore epiſtola utriuſque rei fit mentio; poſterior vero in eo tota verſatur, ut ſilentium unius vel duarum operationum commendet; de voluntate nec verbum quidem habet. Quæ unam voluntatem Chriſti reſpiciunt, ab Honorio ſcripta fuiſſe fatemur: quæ vero ad unius vel duarum operationum reticentiam pertinent, a Monothelitis aſſuta fuiſſe docebimus. Quamquam enim tum in unius in Chriſto voluntatis dictione, tum in unius vel duarum operationum reticentia Monothelitarum error ſitus eſſet; unam voluntatem tamen in Chriſto ſecundum Catholicam Fidem dicere non ſolum poſſumus, ſed debemus etiam, ſi de ſola Chriſti humana natura ſermo ſit: cum huic verbo, *Una eſt Chriſti voluntas*, ſententiæ duæ ſint ſubjectæ, altera Catholica, altera autem hæretica: Catholica quidem, ſi de natura humana dumtaxat illud acceperis; hæretica autem ſi ad utramque naturam Divinam & humanam illud referas. Hinc Gallicanæ Declarationis Defenſor Lib. 12. Cap. 22. & ſeq. non illud urget, unam in Chriſto voluntatem ab Honorio dictam: ſenſit enim, facile oſtendi poſſe, Honorium ſecundum Fidem Catholicam id dixiſſe: ſed illud premit, atque valde urget, Honorium unius &

dua-

Digitized by Google

duarum operationum vocem rejeciſſe, duas operationes in Chriſto dici noluiſſe; quæ & Monothelitarum hæreſim magis redolent, & ad Catholicam ſententiam vix trahi poſſe videntur.

III. Nos itaque demonſtremus oportet: Honorium nihil quicquam de una vel duabus Chriſti operationibus, earumve reticentia ad Sergium ſcripſiſſe; ſed a Monothelitis ea omnia fuiſſe in Honorii litteras inducta, ut Sextæ Synodi Epiſcopis Honorius Monothelita fuiſſe videretur. Cujus rei argumenta primum a Monothelitis exquiram, atque in primis ab ipſo Sergio, de quo ſciſcitari volo: Cur Honorii reſponſum, ubi illud accepit, ſtatim non evulgaverit, ſi de Chriſti operationibus ea Honorius ſcripſiſſet, quæ ejus nomine in Sexta Synodo lecta ſunt, quibuſque Sergii hæreſis confirmari videretur? Cur in *Ecthesi* ſua conficienda, qua de Chriſti operationibus ſilentium Sergius indixit, Honorium non laudavit, ſi idem ſilentium Honorius litteris ſuis indixiſſet? Cur non ante quam Honorius obiret, Sergius *Ecthesim* ſuam publicavit, quam tamen duobus ante annis conſcripſerat? Cur non Severino Honorii I. ſucceſſori, a quo Sergius *Ecthesis* approbationem extorquere conatus fuit, Honorii auctoritatem objecit? Hæc ſiquis attente conſideraverit, fateri cogetur, aliud nihil in cauſſa fuiſſe, quamobrem ita ſe Sergius gereret; niſi quod Honorius tale nihil ad Sergium reſcripſerat, quod ejus hæreſi favere poſſet. Nam ſi de Chriſti una vel duabus operationibus, earumve reticentia nihil ad Honorium Sergius ſcripſerat; quod nos paullo ante oſtendimus, vel certe oſtendere conati ſumus: quid in mentem Honorio veniſſe dicam, ut, de quo illum Sergius non interrogaſſet,

ſet, reſponderet? Anne Honorius hæreſis illius, quam ei Sergius proponere auſus non fuerat, auctor videri geſtiebat?

IV. Atqui quemadmodum Sergius, ſiquid illi Honorius ſcripſiſſet, quod ejus hæreſi ſuffragaretur, continuo illud divulgaſſet; cum iccirco ad Honorium ſcribendi Sergius conſilium ceperit, ut Pontificis Summi auctoritate ad hæreſis ſuæ confirmationem, ſi fieri poſſet, abuteretur: ita ceteri quoque Monothelitæ Honorii ſcripta palam produxiſſent, ſi quid in illis, quod a ſe ſtare putarent, reperiſſent. Qui igitur factum eſt, ut nemo quiſquam ex Monothelitis epiſtolæ alterius, quæ Honorii nomine in Sexta Synodo lecta fuit, umquam meminerint; cum illa præſertim ad ſuam ipſorum ſententiam conſtabiliendam aptiſſima eſſe videretur; quippe quæ tota in eo verſatur, ut neque una neque duæ operationes in Chriſto dici debeant? Non alia profecto cauſſa afferri poteſt; niſi quod epiſtola illa tunc non exſtaret, quæ poſtmodum Honorii nomine fuit fabricata. Nam ſi exſtabat, cur non illam proferebant Monothelitæ, qui priorem, quam Honorius ſcripſerat, memorabant? Monothelitas duos dico Pyrrhum & Paullum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, qui Honorium ſecum ſentire dictitabant, ac proinde Honorii litteras efferebant: & ſicut quæ ſecundo loco in Sexta Synodo Honorii nomine recitata fuit epiſtola, quæ de ſilentio unius vel duarum operationum in Chriſto tota ſcripta eſt, numquam indicarunt; ita cum Honorii epiſtolam priorem in medium adducerent, ut hæreſim ſuam defenderent, nullum umquam ex ea argumentum ſumpſerunt, quo ab Honorio unius vel duarum operationum in Chriſto ſilentium indi-

ctum

Digitized by Google

ctum fuiſſe perſuaderent ; ſed ea epiſtola uſi ſunt dumtaxat , ut Honorii auctoritate unam in Chriſto voluntatem ſtabilirent.

V. Nam ante Sextam Synodum duos ſolos Monothelitas Honorii litterarum meminiſſe novimus, Pyrrhum ſcilicet & Paullum Conſtantinopolitanos Epiſcopos ; propterea quod Sergius , qui litteras illas ab Honorio acceperat , ſupprimendas magis , quam proferendas curaverat, cum nihil ſibi favere perſpexiſſet . Pyrrhus vero , cum poſt Honorii & Sergii mortem eaſdem litteras divulgaſſet , quamvis dicere non dubitaret , Honorium Sergio hoc aſſenſum fuiſſe , unam eſſe in Chriſto voluntatem; de unius tamen vel duarum operationum indicto ſilentio , dicam Honorio nullam impegit ; quod ex Johannis IV. Apologia contra Pyrrhi calumniam videre licet. Quinimmo in publica illa diſputatione , quam in Africa Sanctus Maximus cum Pyrrho habuit , & in qua Honorium & Vigilium etiam Romanos Pontifices Pyrrhus a ſe ſtare vociferabatur , aliud nihil tamen Honorio tribuit Pyrrhus , niſi in litteris ad Sergium ſcripſiſſe , unam eſſe in Chriſto voluntatem . Et cum deinceps de duabus Chriſti operationibus ſermonem Sanctus Maximus cum Pyrrho diſputans inſtitueret ; iſte vero unam & ſolam in Chriſto diceret operationem , ille contra duas dici oportere demonſtraret , Honorium Pyrrhus non allegavit ad duas operationes rejiciendas , quemadmodum antea illum allegaverat ad unam in Chriſto voluntatem conſtituendam . Sed neque Paullus Monothelita , qui Honorii epiſtolam ad Sergium datam laudavit in litteris ſuis ad Theodorum Pontificem Summum , quibus id agebat , ut Honorius cum Sergio in hæreſi conſenſiſſe crederetur , Honorium induxit cum Sergio conſpirantem in indicendo

do unius vel duarum operationum ſilentio; ſed in una dumtaxat voluntate in Chriſto conſtituenda *concordantes*, inquit ille, *& conſonantes facti ſunt Sergius & Honorius*.

VI. Igitur ſi Monothelitæ, qui in Honorii litteris hæreſis ſuæ præſidium quærebant, epiſtolam, quæ ſecundo loco in Sexta Synodo Honorii nomine fuit recitata, quamque, cum tota ſcripta ſit de unius vel duarum operationum faciendo ſilentio, ad hæreſim ſuam confirmandam facili negotio traducere poterant, numquam attigerunt; iidemque, cum priorem Honorii epiſtolam proferrent, partem illam dumtaxat, quæ ad unius voluntatis dictionem pertinet, attulerunt, numquam autem partem, quæ Chriſti operationes reſpicit; ac proinde nemo exprobravit Honorio, quod litteris ſuis unam aut duas operationes in Chriſto rejecerit, aut Chriſti operationum ſilentium fieri juſſerit: dicamus oportet, epiſtolam alteram, quæ ſecundo loco Honorii nomine in Sexta Synodo fuit exhibita, ea ætate etiam tum fabricatam non fuiſſe; itidemque priori epiſtolæ partem alteram, quæ de Chriſti operationibus ſcripta eſt, poſtmodum fuiſſe aſſutam.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Ex Ecthesi, *atque ex* Typo *argumenta multa eliciuntur; quibus litterarum Honorio I. adſcriptarum ſuppoſitio detegitur.*

I. ETSI ſæpe diximus, ſæpius tamen dicendum eſt, Honorii litteras, quales in Sexta Synodo lectæ fuerunt, eo conſilio a Monothelitis fuiſſe partim corruptas, partim vero ſuppoſitas, ut Honorius unam in Chriſto voluntatem dixiſſe, unius quoque & duarum operationum dictionem rejeciſſe videretur. Primum Honorius ſcripſit: alterum Monothelitæ Honorio adſcripſerunt. Primum, hoc eſt unam eſſe in Chriſto voluntatem, cum duas habere poſſit ſententias, Catholicam ſcilicet, atque hæreticam, Honorius ſenſu plane Catholico dixit: quod neque obſcurum cuiquam eſſe poteſt, & nos ſuo loco magis perſpicuum faciemus. Unam vero & duas operationes rejeciſſe, quod Honorio fuit affictum, haud facile cum Catholica Fide convenire poſſe videtur. Falſificus autem ille, qui Honorii epiſtolam alteram corrupit, alteram eidem ſuppoſuit, iccirco id fecit, ut Honorium exhiberet & reſpuentem unam atque duas operationes, & unam in Chriſto aſſerentem voluntatem ſenſu prorſus

Mo-

Monothelitico. Nos autem nihil quicquam de unius aut duarum operationum ſilentio, vel rejectione ab Honorio ſcriptum fuiſſe, & Capite ſuperiore ex ipſis Monothelitis demonſtravimus, & nunc apertius ex *Ecthesi*, atque ex *Typo* oſtendemus: unam vero in Chriſto voluntatem ab Honorio ſecundum Catholicam Fidem dictam fuiſſe poſtea docebimus.

II. *Ecthesis* a Sergio compoſita, & Heraclii Imperatoris nomine edita multa nobis argumenta præbet, quibus Honorii epiſtolas interpolatas fuiſſe poſſumus confirmare. Erat *Ecthesis* falſa quædam Fidei profeſſio, ſive Monotheliticæ hæreſis expoſitio, a Pontificibus Summis Severino, Johanne IV. Theodoro, ac Sancto Martino damnata. Ea exſtat in Secretario tertio Concilii Lateranenſis: quam ſi quis legerit, Honorii litteris ſimillimam eſſe comperiet: *Ecthesi* enim, quemadmodum & Honorii litteris una in Chriſto voluntas proponitur, & unius vel duarum operationum dictio rejicitur. *Ecthesim* hanc Sergius conſcripſit anno ſexcenteſimo trigeſimo ſexto; poſtquam ſcilicet ab Honorio litteras acceperat; & anno demum ſexcenteſimo trigeſimo octavo poſt Honorii mortem illam publicavit; quod in hæreſis Monothelitarum hiſtoria fuit a nobis argumentis confirmatum. Quid, obſecro, Sergius, qui hæreſim ſuam divulgare geſtiebat, quique ea gratia *Ecthesim* conſcripſerat, ejus promulgationem uſque ad Honorii obitum diſtulit? Honorius, inquit Pagius, irritari non oportuit. Atqui, tanti viri pace dixerim, Honorius Sergio ſuccenſere non poterat, ſi quæ ille ſcripſerat, iſte tranſcriberet. Quinimmo ſi Honorius epiſtola ſua Sergium ita juſſiſſet, quemadmodum in priore epiſtola ejus nomine in Sexta Synodo recitata ſcriptum exſtat: *Hæc nobiſcum fraterni-*

tas

tas veſtra prædicet, ſicut & nos ea vobiſcum unanimiter prædicamus: Sergius vero, quæ Honorii litteris continerentur, *Ecthesi* ſua proponeret, nullam in Sergium culpam Honorius conferre poterat, cum ejus mandata iſte exequeretur; alioquin obedientiam in culpam Honorius convertiſſet. Quod cum Sergius Honorium facturum divinare non poſſet, nihil erat, quamobrem annos fere tres *Ecthesis* promulgationi protraheret, atque exſpectaret uſque dum Honorius mortem obiret, ſi ea ille ſcripſerat, quæ in ipſius litteris nunc exſtant. Cum igitur Sergius vivo Honorio *Ecthesim* a ſe compoſitam ſuppreſſerit, quam ut cum maxime proferre debuerat; ubi vero de Honorii morte ſibi nuntiatum fuit, continuo *Ecthesim* publicavit, ut ad annum ſexcenteſimum trigeſimum octavum animadvertimus: maximo id argumento eſt, in Honorii litteris ea tum non fuiſſe ſcripta, quæ in *Ecthesi* Sergius ſcripſerat, quæque poſtmodum Honorii litteris adſcripta fuerunt: hoc eſt nihil Honorium ſcripſiſſe ad Sergium de una vel duabus operationibus rejiciendis, ſed unam voluntatem in Chriſto dumtaxat prædicaviſſe. At cum Honorius ita epiſtolam ſuam texuerit, ut plane ſignificaverit, de ſola Chriſti humana natura ſermonem facere ſe; ac proinde ſecundum Catholicam Fidem unam in Chriſto voluntatem profeſſus fuerit, Honorii litteræ nihil ad *Ecthesim* Sergii. Quamobrem ab *Ecthesi* proponenda, vivo Honorio, Sergius conſulto abſtinuit; non ſolum quia hæreſim ſuam, de qua in primis Honorium celatum volebat, aperuiſſet; ſed multo magis, quod, hæreſi patefacta, futurum eſſet, ut Honorius & Sergium acriter objurgaret, & deinceps, cum intelligeret, epiſtolam ab ſe ſcriptam malitioſa interpretatione fuiſſe a Sergio ad hæreticam ſen-

ſententiam traductam, mentem ſuam de una in Chriſto voluntate ita declararet, ut nullus adhibendæ calumniæ locus Monothelitis relinqueretur.

III. Deinde, ſi Honorius in ſuis ad Sergium litteris ea ſcripſiſſet, quæ nunc in illis exſtant, & quibus factum eſt, ut cum Sergii *Ecthesi* Honorii litteræ mirifice conveniant: cur Sergius, qui ſua illa *Ecthesi* aliud nihil efficere nitebatur, niſi ut omnes unam & duas operationes in Chriſto rejicerent, & unam & ſolam in Chriſto voluntatem profiterentur: cur, inquam, Sergius formulam illam ipſe conſcripſit, & non magis litteras ipſas Honorii propoſuit, quibus & ſibi & cauſſæ ſuæ melius conſuleret? Nemo enim illi exprobrare potuiſſet, novam ab eo Fidem fuiſſe excogitatam: & Honorium citius, quam Sergium omnes audiſſent. Quis neſciat, Sergium manibus pedibuſque conatum fuiſſe, ut formulæ illi auctoritatem, quam maximam poſſet, conciliaret & Synodi coactione, & Imperatoris ſubſcriptione, & Cyri Epiſcopi Alexandrini confirmatione? Cur igitur, ſi ab Honorio litteras illas Sergius acceperat, quales nunc exſtant, via compendiaria non eſt uſus, Honorii litteras ipſas exhibendo, ut nihil ſibi ultra facto opus eſſet? At a ſe conſcriptam *Ecthesim*, dixerit quis, Sergius edere maluit. Sed cur in *Ecthesi* Honorii litteras ſaltem non laudavit, ejuſve non meminit ſibi conſentientis? Solus, credo, Sergius tanti operis auctor videri voluit. Cur igitur non ſuo, ſed Heraclii Imperatoris nomine *Ecthesim* illam protulit? Cur vero omnem lapidem movit, ut a Severino Pontifice Summo, qui Honorio I. proxime ſucceſſerat, *Ecthesis* ſubſcriberetur, quemadmodum in hiſtoria hæreſis Monothelitarum obſervavimus ad annum ſexcenteſimum trigeſimum octavum?

Cur

Cur non Sergius Severino, *Ecthesi* ſubſcribere recuſanti, Honorii exemplum ad imitandum propoſuit? Cur non illum monuit, *Ecthesi* aliud nihil contineri, quam quod Honorius litteris ſuis ſcripſerat? Ita ſane in ſpem aliquam veniſſet Sergius fore, ut ad *Ecthesis* ſubſcriptionem Severinus adduci poſſet. Sed quid tamdem opus erat Severini ſubſcriptione, ſi Honorius ea litteris ſuis prædicaverat, quæ *Ecthesis* complectebatur? Cum autem Severinus pro ſubſcribendo *Ecthesi*, eamdem damnaverit; mirum eſt, neque Pyrrhum, nec quemquam alium ex Monothelitis Severino objeciſſe, id illum reprobare, quod deceſſor ejus Honorius litteris ſuis non probaſſe ſolum, ſed etiam præcepiſſe videbatur. Cur denique Heraclius Imperator, a quo Sergius *Ecthesis* ſubſcriptionem extorſerat, & cujus nomine ipſam ediderat: cur, inquam, Heraclius, cum ſe Johanni IV. Pontifici Summo purgaret, quod Sergii dolo deceptus *Ecthesi* ſubſcripſerit, non ſimul Honorii litteras memoravit, quarum auctoritatem ſecutus, *Ecthesim*, quæ ex illis ſumpta eſt, ſubſignaverit? Id enim Imperatori ſatis juſtam excuſationem dediſſet.

IV. Ex *Typo* etiam, quem Paulli Epiſcopi Conſtantinopolitani Monothelitæ impulſu Conſtans Imperator propoſuit, argumenta non pauca eliciuntur ad litterarum Honorii corruptionem convincendam. *Typo* vetabantur omnes unam vel duas in Chriſto voluntates, unam vel duas operationes dicere: nimirum ad contentiones tollendas tam unius, quam duarum operationum & voluntatum dictionem *Typus* rejiciebat: *Typus*, dixerunt Epiſcopi in Secretario quarto Concilii Lateranenſis, *bonum intentum habere dignoſcitur, diſſonantem autem virtutem intentui continet*. Nam quod in *Typo* præferebatur de ſedan-

dandis diſcordiis, hoc quidem optimum erat: quod autem pacis nomine duæ in Chriſto voluntates, duæque operationes ſupprimerentur, id vero deterrimum; neque enim paci, quæ tantum habitura ſit inſidiarum, conſulendum eſt. Atqui ſi ea Honorius ſcripſiſſet, quæ nunc in ejus litteris exſtant, dulci pacis nomine duas in Chriſto operationes ipſe quoque rejeciſſet. Cur igitur Sanctus Martinus, qui in Concilio Lateranenſi Canone decimo octavo *Typum* & ſcelerosum dixit, & anathematizavit: cur, inquam, Honorii litteras, quæ cum *Typo* convenirent, neque damnavit, neque defendit, neque attigit quidem? Cur ex Monothelitis, qui ægre admodum *Typi* damnationem tulerant, inventus eſt nemo, qui, quod nonnulli nunc facere non dubitant, Sancto Pontifici exprobraret, Honorii, cujus litteris perinde ac *Typo* duæ in Chriſto operationes ſupprimerentur, dignitati illum pepercisse, in quo ipſe ſervaret ſuam? Cur Conſtans Imperator, cum poſtularet a Sancto Martino nuper electo, ut *Typum* ſuſciperet, non illi Honorii litteras objecit? Cur Sanctus Maximus Gregorio Imperatoris Legato ad hanc rem Romam miſſo, omni aſſeveratione affirmavit fieri non poſſe, ut Pontifex Summus *Typum* reciperet? *Impoſſibile*, inquit, *ut opinor, eſt hoc: non enim patiuntur Romani auferri una cum impuris hæreticorum vocibus Sanctorum Patrum luciferas voces, vel ſimul cum mendacio veritatem exſtingui, aut cum tenebris lumen pariter diſſipari*: quæ Sancti Martini verba exſtant in ejus Collatione cum Principibus. Qua fronte, obſecro, Sanctus Maximus Imperatoris Legato reſpondiſſet, Romanos Pontifices non pati, ut cum hæreticis vocibus etiam Catholicæ voces ſupprimantur, ſi id Honorius paucis ante annis & præſtitiſſet ipſe, & hoc amplius a Ser-

Sergio quoque fieri juſſiſſet ? Dicetne aliquis, nimis confidentem Sanctum Maximum fuiſſe ? At cur Gregorius non illi repoſuit : falsò de Pontificibus Romanis id illum prædicare, cum jam Honorius *Typo* verba præiverit ? Cur Petrus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Monothelita, cum Theodoſium Epiſcopum Cæſareæ Bizyam mitteret, ubi Sanctus Maximus exulabat; eique traderet Teſtimonia quædam Sanctorum Patrum nomine inſcripta, ſed ab hæreticis ſumpta, ut illis, ſi fieri poſſet, Sanctus Maximus in errorem induceretur, *Typum*que ſuſciperet; non Honorii litteras Sancto Maximo exhibendas curavit, ut Romani Pontificis auctoritati cederet ? Cur denique Theodoſio huic omnia fruſtra tentanti, tamdemque œconomiam objicienti, propter quam *Typus* factus fuerit : *Quod factum eſt*, inquit Theodoſius, *per diſpenſationem, ne accipias ut ratum dogma* : Nam pergit ille, *ut omnes pace mutua fruerentur, conſideraverunt quidam hujuſmodi voces ſilentio comprimendas* : Cur, inquam, Theodoſio hæc dicenti reſpondit Sanctus Maximus : *Quis fidelis ſuſcipit diſpenſationem taceri facientem voces, quas dici per Apoſtolos & Prophetas atque Doctores Deus omnium diſpenſavit* ? Cur non ſubito Theodoſius ſtipes ille ſubjecit : Honorium ipſum talem diſpenſationem ſuſcepiſſe, immo præcepiſſe ? Mirum hoc quidem : ſed permirum mihi, atque adeo incredibile videtur, Sanctum Maximum, qui Honorii litteras tenebat, & illum ſummis laudibus extulerat, atque *Divinum* appellaverat, Theodoſio Monothelitæ reſpondere non dubitaſſe, fidelem neminem ſuſcipere diſpenſationem tacendi duas operationes, ſi Honorius eas ſcripſiſſet litteras, quibus de duabus operationibus ſilentium fieri juſſiſſet.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVII.

Ex Johanne IV. & Sancto Maximo Martyre, qui Honorii I. defenſionem ſuſceperunt, manifeſte intelligimus, Honorii litteras adulteratas fuiſſe.

I. IN hæreſis Monothelitarum hiſtoria obſervavimus, tribus fere poſt annis, quam Honorius I. obiit, Johannem IV. Pontificem Summum Apologiam pro Honorio ad Conſtantinum Imperatorem ſcripſiſſe. Cauſſa ejus ſcribendæ fuit; quod Pyrrhus Honorii litteris ad hæreſim ſuam confirmandam abuteretur: *Didicimus*, ſcribit Johannes IV. *omnes Occidentales partes ſcandalizatas turbari, fratre noſtro Pyrrho Patriarcha nova quædam & propter regulam Fidei prædicante, & ad proprium ſenſum Sanctæ memoriæ Honorium Papam deceſſorem noſtrum attrahere feſtinante*. Hæreſis, quam Pyrrhus prædicabat, duo, ut ſæpe diximus, capita erant: alterum nimirum, ut una in Chriſto voluntas diceretur: alterum vero, ut tum una, tum duæ in Chriſto operationes reticerentur. Atqui ſi Honorius tales ſcripſiſſet litteras, quales in Sexta Synodo lectæ fuerunt; & Pyrrhus utrumque hæreſis ſuæ caput Honorii verbis confirmare conatus eſſet, & Johannes IV. de utroque itidem capite Honorium defendiſſet. Quinimmo in eo maxime Johannes in ſua Apologia elaboraret, ut, quæ Honorius de unius vel duarum Chriſti operationum in-

Digitized by Google

indicendo ſilentio ſcripſiſſet, quæ quidem duriuſcula eſſe viderentur, atque adeo difficiles explicatus haberent, arriperet; in quo Honorii, ſi non verba, mentem ſaltem catholicam oſtenderet. Contra tamen Johannes IV. fecit. Nam cujus rei facilis & prompta defenſio erat, Honorium ſcilicet unam in Chriſto voluntatem ſenſu plane Catholico dixiſſe, hoc Johannes aggreſſus eſt: de ſilentio autem unius vel duarum operationum, quod arduum eſſe videbatur, id vero miſſum fecit. Quid ita? Anne inopia Johannes fecit, quia nullam de reticentia unius, vel duarum in Chriſto operationum excuſationem Honorio quærere poſſet? Abſtineret igitur Johannes a texenda Apologia, quæ Honorio noceret magis, quam prodeſſet.

II. Quinimmo cum Johannes IV. Pyrrhi malitia adductum fuiſſe ſe profiteatur ad illam Apologiam pro Honorio ſcribendam; quæ Pyrrhus Honorio exprobraret, diluere omnia debebat: Pyrrhus autem hoc in primis carperet, Honorium de una vel duabus operationibus ſilentium fieri juſſiſſe. Nihil tamen Johannes de reticentia unius vel duarum operationum Honorium defendit, cum nihil Pyrrhus Honorio hac de re injecerit, injecturus certe, ſi quæ nunc in Honorii litteris exſtant, tum exſtitiſſent. Johannes IV. igitur Honorium excuſavit, quod unam dixerit in Chriſto voluntatem: quod iccirco ſecundum Catholicam Fidem ab Honorio dictum fuiſſe demonſtrat, quod Chriſti humanam naturam ſolam ille ſpectaverit: *Chriſtus*, ſcribit Johannes, *unus, & ſolus ſine peccato in diſpenſatione Sanctæ carnis ſuæ duas numquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipſius. Un-*

 de

Digitized by Google

de ſcientes, quod nullum in eo, cum naſceretur, & converſaretur, eſſet omnino peccatum, docentes dicimus, & veraciter confitemur unam voluntatem in Sanctæ ipſius diſpenſationis humanitate, & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus; ſecundum quod quidam hæretici velut in puro homine delirare noſcuntur. Secundum hunc igitur modum deceſſor noſter Honorius *Sergio Patriarchæ percunctanti ſcripſiſſe dignoſcitur: quia in Salvatore noſtro duæ voluntates contrariæ, ideſt in membris ipſius penitus non conſiſtunt; eo quod hic luctaminis ſtimulus ex prævaricatione protoplaſti ſumpſit initium; atque a Redemptore noſtro natura ſumpta eſt, non criminis culpa.... Prædictus ergo deceſſor meus docens de myſterio* Incarnationis *Chriſti dicebat, non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium ſenſum convertentes, Divinitatis ejus, & humanitatis unam eſſe voluntatem docuiſſe ſuſpicati ſunt; quod veritati omnimodis eſt contrarium*. Itaque ex hac Johannis IV. Apologia pro Honorio perſpicuum fit, Honorii litteras, quales in Sexta Synodo lectæ fuerunt, tunc non exſtitiſſe; ſed alteram poſtmodum interpolatam, aliam vero totam fuiſſe confictam. Nam iccirco Johannes IV. Honorium non excuſavit, quod unam aut duas in Chriſto operationes rejeciſſet, quia, in quo Honorium Pyrrhus non accuſaverat, in eo Johannes illum excuſare non poterat: iccirco autem Pyrrhus Honorium accuſare non potuit, quod unam & duas operationes æque rejeciſſet, quod id Honorius non ſcripſerat, neque ea, quæ nunc in Honorii litteris exſtant, tum exſtarent. Hoc unum Honorium Pyrrhus accuſavit, unam in Chriſto voluntatem Honorium dixiſſe: hoc unum Johannes IV. Honorium defendit; hoc unum denique Hono-

rius,

rius, ſed ſenſu plane Catholico ſuis in litteris ſcripſit.

III. Eodem fere tempore, quo Johannes IV. Honorium defendebat, etiam Sanctus Maximus, qui pro Chriſti Fide tuenda adverſus Monothelitarum errores martyrium ſubiit, Honorii litteras ad Sergium ſcriptas a calumniis, quas Monothelitæ in illis interpretandis adhibebant, vindicavit. Id vero Sanctus Maximus & voce, & ſcripto etiam præſtitit. Nam tum in Diſputatione cum Pyrrho Carthagine habita, tum duabus epiſtolis, altera ad Marinum Presbyterum, altera vero ad Petrum illuſtrem Sanctus Maximus oſtendit, nihil Honorium ſcripſiſſe, quod ad Monothelitarum hæreſim trahi poſſit. Honorii ad Sergium litteras Sanctus Martyr præ manibus habebat, quarum verba in epiſtolam, quam ad Marinum Presbyterum dedit, inſeruit. Sed neque in diſputatione illa cum Pyrrho, neque in epiſtolis umquam Sanctus Maximus memoravit, Honorium de una vel duabus Chriſti operationibus verba feciſſe, earumve ſilentium litteris ſuis indixiſſe. Sed hoc dumtaxat Honorio tribuit, quemadmodum & Johannes IV. fecerat, unam in Chriſto voluntatem dixiſſe; quod ſecundum Catholicam Fidem ab Honorio dictum ſubinde demonſtrat. Alterutrum itaque dicamus oportet: vel Sanctum Maximum in defendendo Honorio vanum futilemque fuiſſe, qui de eo, quod gravius eſſet, Honorium neque purgavit, neque purgare conatus fuit: vel iccirco Honorium de ſilentio unius vel duarum operationum non excuſaſſe, quod nihil ea de re in litteris ad Sergium Honorius ſcripſiſſet: ac proinde, quæ de una vel duabus Chriſti operationibus in priore Honorii epiſtola ex-

 ſtant,

Digitized by Google

ſtant, tum minime exſtitiſſe; ſed poſtmodum fuiſſe addita: epiſtolam quoque, quæ ſecundo loco in Sexta Synodo Honorii nomine fuit exhibita, quæ tota ad Chriſti operationes pertinet, poſt Sancti Maximi ætatem fuiſſe ſuppoſitam.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Ex Pontificibus Summis, qui Monothelitarum hæreſim & ſcripta damnarunt, Honorii I. litteras vitiatas fuiſſe liquido apparet.

I. QUemadmodum Monothelitæ, qui Honorium I. a ſe ſtare dictitabant propter ea, quæ ad Sergium ſcripſerat, & Orthodoxi, qui a Monothelitarum erroribus Honorii litteras longe alienas eſſe demonſtrabant, de una Chriſti voluntate Honorium ad Sergium ſcripſiſſe dumtaxat memorabant, numquam vero de Chriſti una vel duabus operationibus quicquam ab Honorio ſcriptum fuiſſe dixere; ex quo manifeſte intelligimus, Honorii litteras ea ætate alias fuiſſe ab illis, quæ in Sexta Synodo primum apparuere: ita ex Pontificibus Summis, qui Monothelitarum hæreſim atque ſcripta damnarunt, Honorii autem litteras numquam attigerunt, argumentum ad earumdem litterarum corruptionem, & ſuppoſitionem comprobandam ducimus. Atque, ut de *Ecthesi*, qua Sergius hæreſis ſuæ virus evomuit, dicam: ſi quis illam cum litteris, quæ Honorii nomine in Sexta Synodo lectæ fuerunt, conferre voluerit, ex uno puteo ſimiliorem numquam aquam aquæ ſumi poſſe comperiet, quam eſt *Ecthesis* Sergii, & Honorii litteræ: ut vel *Ecthesis* ex iis litteris,

teris, vel ex *Ecthesi* litteræ illæ deſcriptæ fuiſſe videantur. Ex quo factum eſt, ut nonnulli ſcribere non dubitaverint, Honorium eadem cum Sergio prædicaſſe, ejus hæreſim approbaſſe, &, quæ *Ecthesi* continentur, protuliſſe.

II. A quibus igitur Sergii *Ecthesis* fuit damnata, ab iiſdem etiam Honorii litteras damnatas oportuit: parum enim profuiſſet, *Ecthesim* e medio tolli, niſi ſimul una & litteræ illæ, quæ idem præſeferrent, tollerentur; cum præſertim multo majorem litteris, quam *Ecthesi* Scriptoris auctoritas auctoritatem conciliaret. Videamus itaque, an Pontifices Summi, qui poſt Honorii I. mortem *Ecthesim* ut hæreticam deteſtati ſunt, eamque iccirco anathemate confixerunt, de Honorii litteris idem fecerint? Honorio I. Severinus proxime ſucceſſit; qui primus Sergii *Ecthesim* damnavit, vel coacta ad hanc rem Synodo, ut Pagius exiſtimat*, vel Decreto extra Synodum lato, ut Cardinalis Baronius, Combefiſius, & Garnerius putarunt. Utcumque ſit, illud certum eſt, Severinum Pontificem Summum *Ecthesim* reprobaſſe, anathemate confodiſſe. Quod non ex Diurno Romano ſolum, ſed magis etiam ex Sancti Martini verbis in Secretario tertio Concilii Lateranenſis cognoſcimus: ubi poſtquam recitata fuit Cyri ad Sergium epiſtola de cogendo Severino recens tunc electo Pontifice ad *Ecthesim* ſubſcribendam, hæc Sanctus Martinus ſubjecit: *Nec enim ſuſcepta eſt omnino aut admiſſa eſt ſecundum vanam eorum* Sergii & Cyri *ſpem; magis autem condemnata eſt, & anathematizata ab Apoſtolica auctoritate huc tranſmiſſa peſſimæ, & præſumptæ novitatis eorum Ecthesis*. *Ecthesim* igitur Severinus Pontifex Summus damnavit, Honorii litterarum autem ne meminit quidem. Severino Johannes

nes IV. fuit ſuffectus; qui adverſus Monothelitarum hæreſim Concilium Romæ habuit, ut ex Theophane, & ex Libello Synodico diſcimus: quo in Concilio Sergii *Ecthesim* damnationi atque anathemati Johannes nominatim ſubjecit, ut Sanctus Maximus in Collatione cum Principibus narrat: ubi poſtquam Heraclii epiſtolam, per quam apud Johannem IV. de *Ecthesi* ſe Imperator purgavit, retulit, hæc ſubjungit: *Hanc fecit juſſionem Heraclius ad Beatum Johannem Papam condemnantem Ecthesim*. Johannes IV. *Ecthesim* damnat, ſed Honorii litteras integras relinquit. Theodorus poſt Johannem IV. Pontifex Summus fuit renuntiatus: *Ecthesim* & ipſe nominatim reprobavit: quod intelligimus ex ipſius epiſtola ad Paullum Epiſcopum Conſtantinopolitanum data: *Prædictam Chartam*, ſcripſit ille *Ecthesim* ſignificans, quam ante memoraverat, *quæ contra orthodoxam Fidem, & Calchedonenſe Concilium ſophiſtice probatur expoſita, cunctis viribus irritam eſſe deliberamus, & vinculo anathematis refutatam, atque ut a nobis, & ab omnibus orthodoxis Epiſcopis abominatam reſpuimus*. Miſit inſuper Theodorus Conſtantinopolim damnationis ſolemne Decretum; Honorii litteras tamen attigit nuſquam. Theodoro Sanctus Martinus I. ſucceſſit, qui pro tuenda Catholica Fide adverſus Monothelitas Martyr occubuit. Hic coacta Lateranenſi Synodo Monothelitarum ſcripta diligenter examinavit; Sergii, Cyri, & Paulli litteras excuſſit; *Ecthesim* in Synodo recitari juſſit; & *maxime propter ea, quæ in defenſione Ectheſeos geſta ſunt, Sanctam Synodum congregatam fuiſſe* profeſſus eſt in Secretario tertio; ac denique Canonem decimum nonum hunc ſanxit: *Si quis ſecundum Sanctos Patres non reſpuit, & anathematizat anima & ore impiiſſimam Ecthesim, quæ perſuaſione Sergii facta*

Digitized by Google

facta eſt ab Heraclio quondam Imperatore adverſus orthodoxam Fidem, condemnatus ſit. Attamen in tota Synodo litterarum Honorii nullam umquam mentionem Sanctus Martinus fecit.

III. Quidnam porro cauſſæ fuiſſe dicemus, cur quatuor Romani Pontifices, qui *Ecthesim* damnarunt, Honorii litteras, quæ idem, quod *Ecthesis*, præferrent, integras omnino reliquerint, ac ne memoraverint quidem? Anne Honorii nomini magis, quam Fidei Catholicæ conſulere voluerunt? Anne Sanctus Martinus, qui propter Catholicam Fidem vitæ ſuæ non pepercit, Honorii famæ parcendum exiſtimavit? Hæc aliaque abſurda dicat oportet, cui non perſuaſum ſit, idcirco Honorii litteras a Romanis illis Pontificibus non fuiſſe damnatas, quod ea ætate tales non exſtarent, quales poſtmodum in Sexta Synodo apparuerunt. Unde cum tunc nihil eſſet in Honorii litteris, quod non cum Catholica Fide optime cohæreret, cum nihil in illis ſcriptum eſſet de unius vel duarum in Chriſto operationum ſilentio, cum nihil illæ ad *Ecthesim* facerent, neque damnatæ fuerunt, neque jure damnari poterant.

IV. Argumenti hujus vim Gallicanæ Declarationis Defenſor jam ante animo proſpexerat lib. 12. cap. 25. adeoque illi prævertendum exiſtimavit. Cauſſas nimirum tres attulit, quamobrem Honorii litteræ damnationem effugerint. Primum: quod præclare Pontificatum Honorius geſſerit, in Eccleſiæ pace obierit, nihilque malo animo fecerit. Tum: quod Catholicæ Fidei favere ſe putaverint Pontifices illi, ſi Honorium excuſarent magis, quam damnarent; ne Monothelitæ tali patrono gaudere poſſent. Denique: quod Honorii epiſtolæ ad Orientales ſcriptæ, inter Occidentales vix quidem, aut certe tenui admodum

dum fama pervulgatæ eſſent. Verum, quod poſtremo loco Defenſor ille erudítiſſimus poſuit, vereor, ut verum ſit. Nam etſi Sergius, quam ab Honorio epiſtolam acceperat, ſuppreſſerit; Pyrrhus tamen, cum Honorius jam obiiſſet, illius epiſtolam, qualis tunc erat, ita apud Occidentales divulgaverat, ut Johannes IV. ad Conſtantinum Imperatorem ita ſcriberet: *Ex diverſis ſuggeſtionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quinimmo ex ipſo quoque auditu didicimus, omnes Occidentales partes ſcandalizatas turbari, fratre noſtro Pyrrho Patriarcha per litteras ſuas huc atque illuc tranſmiſſas nova quædam & præter regulam Fidei prædicante, & ad proprium ſenſum quaſi ſanctæ memoriæ Honorium Papam deceſſorem noſtrum attrahere feſtinante: quod a mente Catholici Patris erat penitus alienum.* Ætate igitur Johannis IV. Pyrrhus in Occidentem Honorii litteras non ſparſerat ſolum, ſed etiam ita perverſe illas interpretari conatus fuerat, ut Monothelitarum hæreſis iiſdem confirmari videretur.

V. Quod autem Pontifices Summi arbitrati fuerint, magis conſulere ſe Catholicæ Fidei, ſi Honorii litteras ſilentio præterirent, quam ſi cum *Ecthesi* illas damnarent: hoc nemini unquam, credo, probabitur. Si enim Honorii litteræ *Ecthesi* ſimillimæ erant, nihil quicquam Pontifices Summi promoviſſent *Ecthesim* damnando, ſi litteras illas integras relinquerent. Nam Monothelitæ, vel damnata *Ecthesi*, Honorii litteris hæreſim ſuam ſtabilire, eamque Honorii indemnati patrocinio melius defendere poſſent. Ut igitur Pontifices Summi Fidei Catholicæ conſulerent, neve Monothelitæ Honorio patrono uterentur, ſi quidem litteras ejuſmodi, quæ nunc exſtant, ſcripſerat, cum *Ecthesi* litteras Honorii quoque ab eis ſimul damnatas oportuit. Denique: quod primo loco

Digitized by Google

eruditus ille Defenſor attulerat , Pontifices Summos , qui *Ecthesim* reprobarunt , Honorii nomini iccirco pepercisse , quod Pontificatum præclare geſſerit , quod in Eccleſiæ pace obierit , quod nihil malo animo fecerit : hoc quidem Honorium ab hæreſis ſuſpicione præclare defendit . Atqui , ajo ego , ſi Pontificibus illis , qui *Ectheſim* damnarunt , perſuaſum fuit , Honorium Catholicam mentem habuiſſe , quamvis ejus litteræ cum *Ectheſi* plane convenirent ; quas damnari non poſſe litteras credebant , ſaltem interpretando explanare debuerant , ut Honorium & Catholicis excuſarent , & ex Monothelitis eximerent. Nullam excuſationem tamen neque Severinus, neque Theodorus , neque Sanctus Martinus I. Pontifices Summi attulerunt . Itaque cum *Ectheſim* damnaverint , Honorii autem litteras indemnatas , immo integras reliquerint ; neque cauſſa ulla fuerit , cur id facerent ; dicamus oportet, Honorii litteras tunc tales non fuiſſe , quales poſtmodum in Sexta Synodo primum apparuere .

CAPUT

CAPUT XIX.

Quo tempore, & a quibus Honorii I. litteræ interpolatæ fuerint, inquiritur.

I. NUNC videamus, num quærendo inveſtigare poſſimus, quo tempore, cujuſve artificis opera Honorii litteræ, quales in Sexta Synodo primum prodierunt, fuerint fabricatæ. In quo quædam certa habeo, quædam vero in conjectura ſunt poſita. Illud certum eſt, quemadmodum ſæpe animadvertimus, Epiſtolæ, quæ ſecundo loco in Sexta Synodo fuit recitata, neminem unum antea meminiſſe: atqui ſi ea ad Sergium ab Honorio data fuerat, præ manibus Monothelitarum erat, eamque illi memorare poterant. Poterant autem? immo vero maxime debebant; cum undique teſtimonia conquirerent ad hæreſim ſuam confirmandam: porro nihil aptius eſſe ad hanc rem poterat, quam iſthæc Honorii epiſtola, ſi tunc exſtaret. Cujus igitur opera epiſtola hæc omnibus ante inviſa, omnibus ignota e latebris prodiit? Caſu in manus incidit Georgii cujuſdam, dum Chartophylacium Patriarchii Conſtantinopolitani perſcrutaretur, ut Pyrrhi, Petri, Cyri, atque Theodori Monothelitarum ſcripta perquireret, quod ab Epiſcopis Sextæ Synodi facere juſſus fuerat.

Digitized by Google

II. Alterius vero epiſtolæ, quæ Honorii nomine in Sexta Synodo priore loco fuit exhibita, etſi Sanctus Maximus Martyr, & Johannes IV. ex Catholicis, Pyrrhus quoque & Paullus ex Monothelitis mentionem fecerint, nemo tamen in ea de unius vel duarum in Chriſto operationum reticentia quicquam ſcriptum fuiſſe indicavit; ſed hoc dumtaxat illa contineri ſignificarunt, in Chriſto unam eſſe voluntatem: ut illud verum ſit, neque epiſtolæ hujus prioris, qualis in Sexta Synodo lecta fuit, quemquam umquam meminiſſe; quamobrem vere dici poteſt, utramque Honorii epiſtolam primum in Sexta Synodo apparuiſſe. Prior hæc Honorii epiſtola inventa fuit in Codicibus, quos Macarius anno antequam Sexta Synodus cogeretur, Imperatori tradiderat. A Macario igitur illam accepimus. Macarium porro ignorat nemo. Macarium illum dico Patriarcham Antiochenum, peſſimum Monothelitam, qui in Sexta Synodo Sanctorum Patrum teſtimonia obtruncata ad hæreſim ſuam tuendam produxit; cui cum a Synodo exprobraretur, *non congruere orthodoxis ita circumtruncatas Sanctorum Patrum voces deſtorare*, impudentiſſime reſpondit: *quærens ſtabilire intentionem meam hoc modo defloravi*; ut in Actione octava videre licet. Macarium dico, qui in Codicibus illis Imperatori traditis, in quibus erat hæc Honorii epiſtola, inſcripſerat etiam Sermonem Mennæ ad Vigilium, & Libellos duos Vigilii ad Juſtinianum, atque Theodoram: quæ ſcripta in ipſa Synodo falſitatis convicta fuere. Ex quibus & Codicis, ex quo Honorii epiſtola primum fuit prolata, & ejus, qui primus illam protulit, auctoritatem cognoſcere poſſis.

III. Et hæc quidem certiſſima ſunt, cetera a me conjecturis & ſuſpicionibus coarguentur. Quamvis quod ad

ad tempus, quo litteræ illæ fabricatæ fuerunt, ſpectat; non probabilis conjectura ſolum, ſed argumentum firmum duci poteſt ex ſilentio eorum, qui poterant, immo debebant litteras illas memorare: eas ſub Sextæ Synodi coactione, paullo ante ſcilicet quam Sexta Synodus haberetur, tum demum confictas fuiſſe. De illarum artifice nihil affirmare volo: ſed ille mihi rem acu tangere videbitur, qui in ſceleſti facinoris hujus ſuſpicionem Macarium perfidioſum illum atque pertinacem Monothelitam vocaverit, ejuſque ſocium atque conſiliorum adjutorem Monothelitam alterum, Theodorum ſcilicet, qui ſe Epiſcopatu Conſtantinopolitano non multo ante Sextam Synodum abdicaverat. Macarium enim, a quo certe Honorii epiſtolam priorem accepimus, falſarium fuiſſe novimus: neque temerarium fuit, quod antequam epiſtola illa in Sexta Synodo legeretur, cum nemo Honorium nominaret, ipſe tamen illum a ſe ſtare palam & confidenter diſtitabat. Quid quod cum de Macario atque Theodoro quæreret Imperator, antequam Sexta Synodus cogeretur, quamobrem orta eſſet de Fide contentio inter Apoſtolicam Sedem & ipſos? reſponderunt: *Quod verba quædam novitatis intromiſſa ſunt, aliquibus quidem ex imperitia hæc introducentibus, aliquibus vero incongrue ſcrutantibus incomprehenſibilia opera Dei*: & deinceps ambo Imperatori perſuaſerunt, *viles eſſe inquiſitiones* hujuſmodi: quæ legimus in Conſtantini epiſtola ad Donum Pontificem Summum: atqui has ipſas ſententias in Honorii litteras, qui eas adulterarunt, non ſemel induxere.

IV. Non me fugit, in Sexta Synodo Actione duodecima, poſtquam Honorii epiſtola lecta fuit ex Macarii Codice, eam fuiſſe collatam cum *authentica Latina*

Ho-

Honorii, quam de Patriarchio ſumpſerat Georgius Chartophylax. Sed & illud animadverti in Synopſi Sextæ Synodi Actione decima quarta, in Patriarchio Conſtantinopolitano fuiſſe Codices corruptos, vitiatos, adulteratos. Nam Codices illi duo Quintæ Synodi, in quibus additus fuerat a Monothelitis Sermo Mennæ ad Vigilium, & Libelli duo Vigilii ad Juſtinianum atque Theodoram ſumpti fuerant ex Patriarchio: quinimmo Macarius atque Theodorus Libellos illos Vigilii nomine confictos divulgaverant, eoſque de Patriarchio ſumpſiſſe ſe dixerant. Quid igitur mirum, ſi quemadmodum falſos illos Libellos in Patriarchium Monothelitæ immiſerant; ita etiam Latinam epiſtolam, quæ Honorii nomen præferret, a ſe confictam intulerint? cum jam præviderent collationem græcæ epiſtolæ cum Latina eſſe faciendam. Macarius vero opus habebat Theodoro, qui tum Epiſcopus Conſtantinopolitanus erat, ut Bibliothecæ illius Eccleſiæ manus admovere poſſet. Id quod non invito Theodoro Macarius faceret; non ſolum quod uterque Monothelita eſſet; ſed etiam, quod Theodorus ita Macario obſequeretur, ut ejus Fidei profeſſioni ſubſcriberet: quemadmodum narrat, qui Sancti Agathonis Pontificis Summi Vitam ſcripſit. Tamdem ſive Macarius, ſive alius quiſpiam Monothelita Honorii litteras corruperit, nihil moror: cum illud argumentis certis teneamus, epiſtolam, quæ ſecundo loco recitata fuit, totam Honorio affictam fuiſſe: priori epiſtolæ vero ea aſſuta fuiſſe, quæ ad Chriſti operationes, earumve ſilentium pertinent.

CAPUT

CAPUT XX.

Quid Honorius I. ad Sergium ſcripſerit, quidve alii Honorio affinxerint, ex ipſis litterarum locis ob oculos ponitur.

I. EX iis, quæ nos hactenus de Honorii I. litteris diſſeruimus, internoſcere quiſque poterit, quid Honorius in ſuis ad Sergium litteris ſcripſerit, quidve Monothelitæ litteris illis adſcripſerint. Nam cum ea, quæ de unius aut duarum in Chriſto operationum reticentia ſunt poſita, quæque ad Chriſti operationes quoquo modo pertinent, ab Honorio nequaquam ſcripta fuiſſe oſtenderimus; illud conſequitur, a Monothelitis omnia illa Honorii litteris aſſuta fuiſſe. Atqui cum epiſtola Honorii nomine ſecundo loco in Sexta Synodo Actione decima tertia recitata ad Chriſti operationes, earumque ſilentium tota referatur, totam quoque ſuppoſitam fuiſſe conficitur. Ea vero, quæ in priore Honorii epiſtola numero III. & IV. habentur, ab Honorio prodiere: quemadmodum paullo poſt docebimus: reliqua autem omnia, quæ Chriſti operationes ſpectant, Monothelitæ Honorio affinxerunt. Ac ſi quis locos omnes litterarum percurrere velit, alias quoque corruptionis notas, & ſuppoſitionis indicia reperiet: cujuſmodi ſunt, quæ epiſtola priore continentur nume-

ro v.

Digitized by Google

ro v. vi. vii. & viii. Quibus in locis duarum in Chriſto operationum dictio, *vox nova*, & *novæ vocis inductum vocabulum* appellatur: qui ea voce uſi ſunt, ut *balbutientes*, & *formantes ſe in ſpeciem doctorum* vituperantur; eamque vocem *ad Eccleſiaſtica dogmata trahere* vetantur omnes: cum *utrum una*, *an geminæ operationes debeant dici*, *vel intelligi*, *ad nos iſta pertinere non debeant*, *relinquentes ea grammaticis*, *qui ſolent parvulis exquiſita derivando nomina venditare*. Epiſtola vero poſteriore numero I. *unius vel duarum operationum eſſe vel fuiſſe Dominum Jeſum Chriſtum ſentire & promere ſatis ineptum eſſe* dicitur: & numero III. jubentur omnes *auferre ſcandalum novellæ adinventionis*.

II. Hæc tamen hiſque ſimilia ab Honorio ſcripta non fuiſſe, ejus, cujus opera Honorius, cum ad Sergium litteras daret, uſus eſt, teſtimonio convincimus. Johannes enim quidam Abbas Honorii I. ab epiſtolis erat, *qui totum Occidentem*, ut Sancti Maximi verba uſurpem, *cum aliis virtutibus*, *tum dogmatibus Fidei Chriſtianæ illuſtravit*. Hic *ex perſona Honorii* litteras ad Sergium ſcripſerat; quibus cum Pyrrhus Sergii ſucceſſor abuteretur, ſuaque malitioſa interpretatione ad unam voluntatem in Chriſto, ſecundum Monothelitarum ſententiam, conſtituendam illas traheret; Johannes IV. Pontifex Summus Apologiam pro Honorio conficiendam curavit, quam ad Imperatorem Conſtantinum miſit tribus fere poſt annis quam Honorius I. obierat. Cumque etiam tum ſuperſtes eſſet Johannes ille, qui Honorii nomine & juſſu litteras ad Sergium fecerat, eodem ipſo Johannes IV. Scriptore uti voluit: ut, qui Honorii litteras ſcripſerat, ipſe & quid illum Honorius ſcribere juſſiſſet, & quæ litterarum vera ſententia eſſet, aperire poſſet: Quæ

omnia

omnia Sanctus Maximus Martyr Pyrrho objecit in Diſputatione, quam cum illo Carthagine habuit. Johannes itaque ille, qui Honorii ab epiſtolis fuerat, cum Johannis IV. nomine Apologiam pro Honorio conſcriberet; poſtquam Honorii mentem & ſententiam declaravit, quod unam voluntatem in Chriſti humanitate dumtaxat ſignificaverit, hæc ſubjecit: *Orthodoxi Patres, qui in toto mundo claruerunt, ſicut utraſque naturas, ita & voluntates, ac operationes Chriſti docere concordi prædicatione monſtrantur*. Quomodo igitur Johannes idem ille Honorii nomine Sergio reſpondens ſcribere potuit: duarum operationum vocem novam eſſe: quoſdam balbutientes ita fuiſſe locutos: vocem illam non eſſe trahendam ad eccleſiaſtica dogmata: grammaticis eſſe relinquendam: ineptum eſſe duas operationes dicere: vocis hujus ſcandalum auferri oportere?

III. Jam vero in epiſtola, quæ ſecundo loco in Sexta Synodo Honorii nomine lecta fuit, præterquamquod tot ſuppoſitionis exſtant veſtigia, quot ſunt verba, quæ omnia ad Chriſti operationes pertinent; de quibus, ut oſtendimus, nihil quicquam Honorius ſcripſit: eſt præterea certiſſimum falſitatis argumentum in iis, quæ numero v. & vi. leguntur. Ibi enim fabula narratur de Honorio, qui ad Sophronium ſcripſerit, ne duas operationes in Chriſto diceret, Sophroniique Legatis id perſuaderet: illos vero de Sophronio fuiſſe pollicitos. Hæc enim omnia ob id excogitata fuiſſe apparet, ut Sanctus Sophronius Monothelitis aliquando conſenſiſſe videretur. Nam ut Sanctus Maximus ſcribit in epiſtola ad Petrum illuſtrem: *Sophronium, qui prudenter Divina perdocuit, & prædicavit Eccleſiæ Catholicæ dogmata, ſe in errorem moviſſe, hac illacque Monothelitæ ſuſurrant*. Sed quænam, obſe-

Digitized by Google

obſecro, iſthæc Legatio eſt, quam ad Honorium Sanctus Sophronius miſit? Eſtne illa, quam Stephanus obivit, an alia? Nam ex ipſius Stephani Libello, quem in Concilio Lateranenſi Secretario ſecundo exhibuit, cognoſcimus, & Legatum a Sancto Sophronio ipſum ad Honorium Pontificem Summum miſſum fuiſſe, & Legationis ſuæ hunc fructum tuliſſe, ut *Deus* Honorium *excitaverit non equidem mediocriter in commonitione nec non conteſtatione prædictorum virorum*, Sergii ſcilicet & Cyri, *licet nullo modo eos flectere* potuerit. Tantum abfuit, ut vel Honorius Stephano Sancti Sophronii Legato perſuaſerit, ut duæ in Chriſto operationes ſupprimerentur; vel Stephanus Honorio pollicitus fuerit, Sanctum Sophronium id facturum.

IV. Sed aliam fortaſſe Legationem a Sancto Sophronio ad Honorium miſſam, qui Honorio epiſtolam illam ſuppoſuit, ſomniavit. Ecquando autem Legationem iſtam ad Honorium Sanctus Sophronius miſit? Profecto vel ante Legationem, quam Stephanus habuit, vel poſt. Non ante ſane: nam neque Stephanus prioris hujus Legationis meminit; & ea in Libello ſuo profert, quibus manifeſte declarat, nullum antea Legatum ad Apoſtolicam Sedem a Sancto Sophronio miſſum fuiſſe: *Beatæ memoriæ Sophronius*, inquit Stephanus, *ſtuduit meam humilitatem ſine mora pro hujuſmodi tantum Capitulo*, hæreſi ſcilicet Monothelitarum, *cum ſua ſuggeſtione ad hanc Apoſtolicam magnamque dirigere Sedem; per me prædictorum virorum* Sergii & Cyri *adaperiens novitatem, quam contra orthodoxam Fidem exponere auſi ſunt*. Ex quibus intelligimus, non alium ante Stephanum hunc a Sancto Sophronio Legatum ad Honorium fuiſſe miſſum. Quid, quod, cum Sanctus Sophronius Stephanum ad Honorium

lega-

Digitized by Google

legaret : *quantocius* , inquibat , *deambula* , *donec ad Apoſtolicam Sedem* , *ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exſiſtunt* , *pervenias ?* Ita ne de Honorio Sanctus Sophronius prædicaret , ſi aliquando aliis Sophronii Legatis Honorius in mandatis dediſſet , darent operam , ne duas Sophronius in Chriſto diceret operationes ? Poſtquam vero Stephanus Honorio Monothelitarum technas aperuit ; atque deinceps Sergium atque Cyrum Honorius commonuit ; fieri non poteſt , ut Sophronio Honorius idem ſcripſerit , duas operationes in Chriſto eſſe ſupprimendas . Quinimmo vix fieri poteſt , ut Sophronius poſt Stephani Legationem , alteram miſerit , cum eo fere tempore ex hac vita migraverit : ut ad annum ſexcenteſimum trigeſimum octavum obſervavimus . Quæ igitur in ſecunda Honorii epiſtola numero V. & VI. ſcripta ſunt , mentita & falſa eſſe , perſpicuum eſt . Quod autem in priore epiſtola unam eſſe voluntatem in Chriſto Honorius dixerit ; id ſenſu plane Catholico dixit ; ut Capite proximo exponemus .

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Honorius I. cum unam voluntatem in Chriſto eſſe ſcripſit, humanam dumtaxat Chriſti naturam reſpexit, a qua carnis voluntatem corruptam excluſit.

I. Honorius igitur, cum Sergio reſponderet, ea dumtaxat ſcripſit, quæ numero III. & IV. ejus epiſtolæ continentur, quæque totidem verbis a Sancto Maximo referuntur in epiſtola ad Marinum Presbyterum: ea vero omnia pertinent ad Chriſti humanam voluntatem, qua de re a Sergio Honorius conſultus fuerat: *Sergius*, ſcripſit Johannes IV. in ſua Apologia, *Honorio ſanctæ recordationis Romanæ urbis Pontifici ſignificavit, quod quidam in Redemptore noſtro duas contrarias dicerent voluntates*: Ad quæ Honorius Sergio reſpondit: *Unam voluntatem fatemur Domini noſtri Jeſu Chriſti; quia profecto a Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa*. Quibus verbis etſi Honorius ſatis aperte de ſola Chriſti humana natura ſermonem habere ſe declaraverit; ex illis tamen Pyrrhus Monothelita conficere poſſe ſe putabat, Honorium unam in Chriſto voluntatem Divinitatis & humanitatis dixiſſe. At Sanctus Maximus Pyrrhum ita confutavit in diſputatione Carthagine cum eo habita: *Quis*, inquit Sanctus Maximus, *fuerit fide & auctoritate dignus epi-*

ſtolæ

Digitized by Google

ſtolæ hujus, Honorii ſcilicet, *interpres*; *qui eam ex perſona Honorii ſcripſit*, *adhuc ſuperſtes*, *& qui tum Occidentem cum aliis virtutibus*, *tum dogmatibus Fidei Chriſtianæ illuſtravit*? *An ii*, *qui Conſtantinopoli*, *quæ ex corde erant*, *loquebantur*? *Qui*, reſpondit Pyrrhus, *hanc compoſuit*. *Is igitur ipſe*, ſubjecit Sanctus Maximus, *cum ad Divum Conſtantinum Imperatorem ex perſona Sancti Papæ Johannis de hac epiſtola ſcriberet*, *dixit*: *Unam voluntatem diximus in Domino*, *non Divinitatis ejus*, *& humanitatis*, *ſed humanitatis ſolius*. *Cum enim Sergius ſcripſiſſet*, *quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent*, *diximus*, *Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe*, *carnis inquam & ſpiritus*, *ſicut nos habemus poſt peccatum*; *ſed unam tantum*, *quæ naturaliter humanitatem ejus ſignabat*. *Si quis vero dicat*: *quare de humanitate Chriſti agentes*, *de Divinitate ejus non meminiſtis*? *Reſpondemus*: *primum quidem*, *reſponſum fuiſſe ad quæſtionem*: *deinde*, *ut in omnibus*, *ſic etiam hic conſuetudinem Scripturæ nos ſecutos fuiſſe*, *quæ aliquando ex Divinitate ejus differit*; *ut cum ait Apoſtolus*: *Chriſtus Dei virtus*, *& Dei ſapientia*: *aliquando ex humanitate*, *& ſolum*; *ut cum idem ait*: *Quod ſtultum eſt Dei*, *ſapientius eſt hominibus*; *& quod infirmum eſt Dei*, *fortius eſt hominibus*. Quæ cum Pyrrhus audiſſet, manus victas dedit, aliudque nihil reſpondit, niſi, *ſimplicius anteceſſor meus accepit hoc*, *in vocem intentus*. Ubi ſunt iſti cavillatores, qui teſtimonium hoc pro Honorii orthodoxia, quod non ſolum Sanctus Maximus, ſed Pyrrhus etiam graviſſimum duxit, leve eſſe putant? Ut jam pudendum ſit, honeſtius fuiſſe Pyrrhi de Honorio ejuſque interprete judicium, quam Catholicorum quorum-

Digitized by Google

ſumdam noſtræ ætatis ; quos nominare nolo , ut ſuæ famæ , cui tamen non pepercerunt ipſi , parcam ego.

II. Præterea in epiſtola , quam Sanctus Maximus ad Marinum Presbyterum dedit , cum Honorii litterarum verba verbis comparaſſet , evidenter oſtendit , Honorium , etſi unam in Chriſto voluntatem eſſe dixerit , ea ſimul tamen etiam ſcripſiſſe , quibus quiſque intelligere poſſit , & carnis voluntatem vitiatam a Chriſto removere , & duas naturales voluntates Divinam & humanam in Chriſto conſtituere : *Honorium* , ſcribit Sanctus Maximus , *Romanum Papam non diffiteri reor naturaliter in Chriſto voluntatum dualitatem in epiſtola , quam ſcripſit ad Sergium , eo quod unam dixerit voluntatem ; ſed potius confiteri , & hanc fortaſſis conſtabilire* : Affert deinde Honorii verba hæc : *A Divinitate aſſumpta eſt noſtra natura , non culpa . . . Sine peccato conceptus eſt de Spiritu Sancto , etiam abſque peccato eſt partus de Sancta & immaculata Virgine Dei genitrice , nullum experiens contagium vitiatæ naturæ . . . . Non eſt aſſumpta a Salvatore vitiata natura , quæ repugnaret legi mentis ejus . . . . . . Lex alia in membris ejus , aut voluntas diverſa non fuit , vel contraria in Salvatore* . Ex quibus Honorii verbis conficit Sanctus Maximus , cum unam eſſe in Chriſto voluntatem Honorius dixit , voluntatem carnis , voluntatem vitiatam , corruptam , qualis in nobis eſt , illum a Chriſto repuliſſe : *Hinc* , pergit Sanctus Maximus , *Honorius oſtendit* , *non quod Chriſtus non habuerit humanam voluntatem , & naturalem ; ſed quod ſicut homo neque ſecundum corpus per membra quælibet habeat præter naturæ leges operationem ; neque ſecundum ani-*

animam voluntatis contrarium, *vel ſine ratione motum*, *veluti nos*. Profert denique Honorii locum, quo duæ in Chriſto naturales voluntates Divina & humana indicantur: *Et ſiquidem ſcriptum eſt*: *Non veni facere voluntatem meam*, *ſed ejus qui miſit me Patris*: *non ſunt hæc diverſæ voluntatis*: id eſt, ut explicat Sanctus Maximus: *contrariæ*, *atque adverſatricis*. *Ex quo Honorii loco*, ſubjicit ille, *duas ſecundum naturam exſiſtere in Salvatore voluntates manifeſte colligitur*. *Si enim contrariam non habuit*, *naturalem habuit tamquam homo*. *Timor ergo eſt*, ipſe concludit, *opinari*, *quod in ejus proprie non eſt ſermonibus ſcriptum*. *Advocatum quippe habet rationis ſermonem*, *omnem calumniatoris abigentem incurſum*.

III. Ex ipſa igitur Honorii ad Sergium epiſtola manifeſte conſtat, Honorium unam in Chriſto voluntatem ſecundum Catholicam Fidem dixiſſe; ut a Chriſto ſcilicet carnis voluntatem corruptam excluderet; qua de re ab illo Sergius fuerat ſciſcitatus: duas inſuper in Chriſto naturales voluntates Divinam & humanam ſatis aperte ſignificaſſe; nemo ut jam Honorii litteras, quatenus illis una in Chriſto eſſe voluntas dicitur, ad Monotheliticæ hæreſis confirmationem, niſi per ſummam injuriam trahere poſſit. Quatenus autem iiſdem litteris de una vel duabus Chriſti operationibus ſilentium fieri præcipitur; multis nos argumentis jam oſtendimus, tale nihil ab Honorio umquam fuiſſe ſcriptum, ſed a falſifico quodam Monothelita id confictum, & Honorii litteris impudenter aſſutum. Quo fit, ut Honorius I. Pontifex Summus non a qualibet hæreſis ſuſpicione ſolum, ſed etiam a favore Monothelitis præſtito, ab omni incon-

Digitized by Google

inconſultæ œconomiæ vel leviſſima culpa remotus fuerit: cum unam in Chriſto voluntatem ſenſu plane Catholico dixerit; neque de una vel duabus Chriſti operationibus ſilentium umquam fieri juſſerit.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Nulla negligentiæ culpa in Honorium conferri poteſt, quod Monothelitarum hæreſim non reſtinxerit; cum ea præſtiterit, quæ potuit ac debuit ad hæreſim illam comprimendam.

I. TOT, tanta, ac tam gravia protulimus argumenta ad litterarûm, quæ Honorii nomine in Sexta Synodo lectæ ſunt, adulterationem oſtendendam, ut cuilibet perſuaſum eſſe poſſit, longe alias fuiſſe litteras, quas Honorius ſcripſit, ab illis, quæ eidem affictæ fuerunt. Indicavimus etiam quid Honorius litteris ſuis ſcripſit, & quid litteris illis ab aliis fuerit adſcriptum: ea vero, quæ ab Honorio ſcripta ſunt, cum Catholica Fide rectiſſime cohærere demonſtravimus: ac proinde Honorium omni vel leviſſima hæreſis ſuſpicione exſolvimus. Verum quamvis Honorius nihil ad Sergium ſcripſerit, quo Monotheliticam hæreſim aut probaſſe, aut illi oblique faviſſe dici poſſit; aliqua tamen negligentiæ culpa teneri videretur, ſi Sergium objurgare, hortari, monere prætermiſerit, ut hæreſim illam derelinqueret. Sed quid, obſecro, Honorius faceret, cum hæreſim ignoraret, cum Sergius litteras ſuas ad Honorium ita componeret, ut ne quid illi ſubolere poſſet? At ubi Sanctus Sophronius

per Stephanum Legatum ſuum rem omnem Honorio aperuit: dubitabitne quiſquam, quin continuo Honorius, & neque ſemel, ſed iterum, immo ſæpius, brevi illo temporis ſpatio, quo ſuperſtes fuit, Sergium fruſtra licet, & hortari, & monere, & orare, & objurgare denique deſtiterit? *Excitavit Deus*, inquit Stephanus ille, qui Honorium hæreſis hujus certiorem fecit, *non mediocriter Apoſtolicos Præſules*, Honorium in primis, apud quem Legatus miſſus fuerat, *in commonitione, nec non conteſtatione prædictorum virorum*, Sergii, & Cyri, quos paullo ante nominaverat; *licet nullo modo eos flectere potuerunt*: quod legimus in Secretario ſecundo Concilii Lateranenſis.

II. Honorii I. litteræ, quibus Sergium ab hæreſi revocare conatus eſt, interciderunt; ſeu, quod veriſimilius eſt, Monothelitæ illas ſupprimendas curarunt. *Sed* factum bene, quod Sanctus Maximus Martyr ea ſcripta reliquit, quibus quiſque intelligat, Honorium nihil eorum prætermiſiſſe, quæ in cauſſa Fidei Pontificem Summum præſtare decebat, ut erumpentem hæreſim repelleret. Nam in epiſtola ad Petrum illuſtrem cum Sanctus Maximus ſcriberet, Monothelitas a Catholicis Epiſcopis admonitos, oratos, obſecratoſque fuiſſe, ut hæreſim relinquerent: *Quæ hos*, inquit, *non rogavit Eccleſia? Quis pius & orthodoxus non ſupplicavit Antiſtes ceſſare illos a propria hæreſi?* Tum Romanos Pontifices commemoravit, qui in hanc curam vehementiſſime incubuerunt. *Quid autem*, ſubjecit, *& Divinus Honorius? Quid vero & poſt illum Severinus ſenex? Quid denique & is, qui poſt hunc exſtitit Sacer Johannes? Porro is, qui nunc præſidet Beatiſſimus Papa* Theodorus, *omiſit quicquam ſupplicationi conveniens?* Ut vel Sanctum Maximum inſigni-

ſigniter mentitum fuiſſe dicamus oportet: vel quod verum eſt, Honorium quoad vixit, deſtitiſſe numquam Sergium obſecrare, & urgere, ut ab hæreſi ſua recederet. Quod etiam Sanctus Martinus I. Pontifex Summus & Martyr in epiſtola ad Amandum Trajectenſem Epiſcopum teſtificatur: *A Sergio*, ſcribit Sanctus Pontifex, *falſo Epiſcopo Conſtantinopolitano execranda & abominanda hæreſis pullulavit, quam ſucceſſor ejus Pyrrhus in deterius auxit. Pro qua re ſæpius Apoſtolica Sedes perſuaſionibus, conteſtationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab ejuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapſi ſunt, remearent*. Porro Sergium nemo alius ex Pontificibus Summis admonere, & increpare potuit, niſi Honorius, cui Sergius non plus quam duos fere menſes ſuperſtes fuit; ut in hæreſis Monothelitarum hiſtoria obſervavimus.

III. Ad Honorium etiam maxime ſunt referenda quæ Sanctus Agatho Pontifex Summus ſcripſit in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem: *Apoſtolicæ memoriæ meæ parvitatis prædeceſſores, Dominicis doctrinis inſtructi, ex quo novitatem hæreticam in Chriſti immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſules introducere conabantur, numquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut a pravi dogmatis hæretico errore ſaltem tacendo deſiſterent, ne ex hoc exordium diſſidii in unitate Eccleſiæ facerent, unam voluntatem, unamque operationem duarum naturarum aſſerentes in uno Domino noſtro Jeſu Chriſto*. Nam cum Honorius tunc Pontifex Summus eſſet, quo tempore Sergius *novitatem hæreticam introducere conabatur*, cumque non diu poſt Honorium Sergius vixerit, ut ab Honorii ſucceſſoribus potuerit corripi:

ripi : planum eſt, Sanctum Agathonem ad Honorium potiſſimum verba illa ſua retuliſſe.

IV. Quod autem Gallicanæ Declarationis Defenſor putat lib. 12. cap. 25. Sanctum Agathonem, cum dixit, deceſſores ſuos Sergium hortatos fuiſſe, *ut ſaltem tacendo deſiſteret*, ſpectaſſe unius vel duarum operationum ſilentium, quod ab Honorio indictum quidam commenti ſunt; ac proinde excuſationem aliquam Honorio Sanctum Agathonem verbis illis quærere voluiſſe; falſo putat: non ſolum, quia, ut nos jam docuimus, nihil tale umquam Honorius ſcripſit; ſed etiam, quia fieri non poteſt, ut Sanctus Agatho id Honorio laudi vertat, quod in ipſa epiſtola Sergio vitio tribuit. Poſtquam enim Sanctus Agatho dixit, *Apoſtolicæ memoriæ meæ parvitatis prædeceſſores . . . . numquam neglexerunt eos*, Sergium ſcilicet alioſque hæreſis propugnatores, *hortari atque commonere, ut a pravi dogmatis hæretico errore ſaltem tacendo deſiſterent &c.* Tum Sergium ſemel, atque iterum reprehendit, *quod in conſtructione Ecthеſeos, & in aliis nec unam, nec duas operationes debere dici permiſerit*. Quomodo Sanctus Agatho, quod ſilentium in Sergio damnabat, in Honorio laudaret? Immo contra: in Honorio ſilentium damnandum eſſet, in Sergio autem, qui Honorio obſecutus fuiſſet, vel probandum, vel certe non reprobandum: cum Sergius hanc habere poſſet excuſationem, Honorium videlicet ſilentii illius auctorem ſibi fuiſſe. Aliud itaque Sanctus Agatho in Honorio commendat, aliud in Sergio reprehendit. Honorium commendat, quod omnia expertus fuerit, nihil intentatum reliquerit, quo Sergium ab hæreſi deterreret; tandemque quod illum obteſtatus fuerit, ut ne hæreſim ſal-

tem

tem, divulgaret, *ut a pravi dogmatis hæretico errore ſaltem tacendo deſiſteret*. Sergium autem Sanctus Agatho reprehendit, quod cum hæreticis vocibus etiam Catholicas voces ſupprimere conatus fuerit, quod *nec unam*, *nec duas operationes debere dici permiſerit*. Cum igitur etiam Sancti Agathonis teſtimonio Honorius in hac Monothelitarum cauſſa ea præſtiterit, quibus hæreſim vel plane exſtingueret, vel certe comprimeret, nullam ne leviſſimam quidem negligentiæ culpam in Honorium conferri poſſe, perſpicuum eſt.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Epiſcopi in Sexta Synodo ita officio ſuo in Honorii I. cauſſa expendenda defuerunt; ut, ne anathema Honorio dicendi occaſionem ſibi oblatam non amitterent, veriti fuiſſe viſi fuerint.

I. Quamvis Honorius I. Pontifex Summus orthodoxus quam qui maxime fuerit, nihilque quod Monothelitarum hæreſim fovere poſſit, ſcripſerit; quinimmo ſtudio, & auctoritate, contentione, & precibus non mediocriter laboraverit, ut hæreſis auctores de impia ſententia deduceret, quemadmodum hactenus demonſtravimus: in Sexta Synodo Œcumenica tamen, poſtquam litteræ, quæ illi affictæ fuerant, lectæ ſunt, Epiſcopi ſæpius illi anathema dixere, atque adeo non ſine turpiſſimo elogio deinceps eumdem ſemper nominarunt. Quod Gallicanæ Declarationis Defenſor ab Epiſcopis illis factum fuiſſe ſcripſit lib. 12. cap. 25. quod jam intellexiſſent, Honorii epiſtolas longe lateque fuiſſe diffuſas, & a Monothelitis miro ſtudio jactatas, ac multos ſeductos auctoritate Pontificii nominis: propterea de Honorio ejuſque Epiſtolis minime tacendum eſſe decreverunt. Hæc nimirum eruditus ille Defenſor excogitavit, ut ab Epiſcopis in Sexta Synodo prudenter id factum perſuaderet. Sed nullo tamen te-

ſti-

ſtimonio confirmavit, neque enim confirmare potuit, Honorii epiſtolas, quales in Sexta Synodo apparuerunt, antea divulgatas fuiſſe: cum contra illud verum ſit, neminem unum ante Sextam Synodum Epiſtolæ Honorii, quæ ſecundo loco fuit recitata, quæque de Chriſti operationibus tota ſcripta eſt, umquam meminiſſe. Neque id mirum; cum ſub Sexta Synodo fuerit fabricata; ut jam animadvertimus. Ejus vero epiſtolæ, quæ primo loco lecta fuit, Actione ſcilicet duodecima, etſi Pyrrhus mentionem fecerit, eamque inſuper divulgaverit; talem protulit tamen, qualem Honorius ſcripſerat, non qualis in Sexta Synodo lecta fuit; quemadmodum a nobis fuit demonſtratum: neque aliam certe aut Pyrrhus, aut Paullus Honorii epiſtolam proponere poterat, quam quæ ab Honorio fuerat ſcripta; cum ea, quæ interpolata in Sexta Synodo fuit exhibita, etiam tum non exſtaret. Alios itaque Defenſor ille quærat, quibus centones farciat: neque enim fieri poteſt, ut Epiſtolæ, quæ omnibus erant ignotæ, immo quæ non exſtarent, fuerint divulgatæ.

II. Præterea, nonne ex Actione duodecima cognoſcimus, cujus opera prior Honorii epiſtola in Synodo prodierit? Macarius ſcilicet non ita multo ante Imperatori Codices nonnullos tradiderat, in quibus erat Honorii epiſtola: Imperator vero Codices illos a ſe numquam lectos Synodi Epiſcopis exhibuit: ut, niſi Macarius Honorio has inſidias occulte molitus fuiſſet, Honorii epiſtolam illam nemo ne memoraſſet quidem. Nam quis, obſecro, præter unum & ſolum Macarium antea in Synodo Honorium nominaverat? Alteram vero Honorii nomine ſcriptam epiſtolam caſu invenit Georgius Chartophylax, dum bibliothecam perſcrutaretur, & Pyrrhi, Petri,

tri, Paulli, Cyri, atque Theodori ſcripta exquireret: & tantum abeſt, ut Epiſcopi, qui in Synodo præſentes aderant, notitiam aliquam epiſtolæ illius haberent, ut Georgium illum juſſerint in medium afferre non jam epiſtolas Honorii, ſed *epiſtolas, & alia opuſcula, quæ tam a Pyrrho, Petro, & Paullo, quam a Cyro, atque Theodoro ſcripta fuerant*: Honorii autem mentionem nullam fecerunt: quod profecto argumento eſt, ignoraſſe omnes epiſtolam alteram Honorii; quam quidem ignorare poterant: poterant autem? immo debebant, cum paullo ante fuiſſet conficta, & occulto in Patriarchio recondita. At Georgius ille Chartophylax ſceleris, ut veriſimile eſt, conſcius, præter omnium exſpectationem epiſtolam alteram Honorii nomine protulit: Pyrrhi autem, & Paulli ſcripta, quæ in medium afferre juſſus fuerat, abſcondit. Neque enim, quæ aut Pyrrhus pro *Ecthesi*, aut Paullus pro *Typo* ſcripſerat, propoſuit. Itaque epiſtolæ illæ duæ, Honorii nomine inſcriptæ, Macarii & Georgii dumtaxat inſidiis in Sexta Synodo prodierunt.

III. Prodierunt tamen. Quid igitur, quærit Gallicanæ Declarationis Defenſor lib. 12. cap. 26. facerent Epiſcopi? An, ut Honorio parcerent, epiſtolas integras relinquerent? At, ajo ego: quibus religio fuit litteras illas, quæ Honorii nomen præferebant, integras relinquendi, iidem integram *Ecthesim*, *Typum* integrum reliquerunt: quæ duo ſcripta & hæretica eſſe, & ab hæreticis compoſita fuiſſe, non ignorabant. Scio reſponderi poſſe: iccirco Epiſcopos illos *Ecthesi*, ac *Typo* perperciſſe, quod *Ecthesis* Heraclii, *Typus* vero Conſtantis Imperatorum nominibus prodiiſſent. Imperatorum igitur rationem aliquam habendam eſſe Epiſcopi illi exiſtimarunt, Romani Pontificis autem nullam. Nolim tamen

illos

illos litteras Honorii nomine inſcriptas inconſulto integras relinquere: ſed hoc in primis diligenter perquirerent, Honoriuſne an alius ejus nomine illas conſcripſiſſet? Nam litterarum etiam tum ignoratarum nec opinata inventio; Macarii, & Georgii in illis producendis nimia diligentia; Honorii vita ſanctiſſima, honeſtiſſimeque acta; ejus defenſio a Johanne IV. ſuſcepta; ejus orthodoxia a Sancto Maximo commendata; Severini, Johannis IV. Theodori, ac Sancti Martini Summorum Pontificum, qui Monothelitarum hæreſim damnarunt, de Honorii litteris ſilentium; Sancti Agathonis de deceſſoribus ſuis, ac proinde de Honorio teſtificatio, numquam illos a via veritatis deflexiſſe, ſed alios immo in Fide Catholica confirmaſſe: hæc, inquam, jam nota, atque teſtata Epiſcopos illos adducere poterant, ut magis crederent, litteras, quæ propoſitæ fuerant, Honorio fuiſſe ſuppoſitas, non ab illo conſcriptas; nihil ut de illis pronunciare auderent, antequam veritatem diligentiſſime perquirerent, atque inveſtigarent.

IV. Sed contra ab illis factum: qui nulla indagatione litterarum habita, neque comperto eas ab Honorio ſcriptas fuiſſe, præcipiti anathemate in Honorium irruerunt: quod Anaſtaſio Bibliothecario ita ſtomachum movit, ut in Epiſcopos illos paullo liberius invectus fuerit: *Quis erit*, ſcripſit in epiſtola ad Johannem Diaconum Romanum, *qui nobis dicat, utrum Honorius pro certo dictaverit epiſtolam, de qua illum anathematizandi fomitem calumniatores ſuſceperunt*? Neque illi a culpa Epiſcopos iſtos liberant, qui eam in Sancti Agathonis Legatos, qui Synodo Sextæ præfuerunt, transferre conantur; quod inconſultæ Honorii damnationi non interceſſerint. Quaſi vero apud Synodum Honorii cauſa ex partium

Digitized by Google

tium ſtudio, non ex veritate penderetur. Præterquamquod, ut in Synopſi Sextæ Synodi animadvertimus, quis umquam credat, Sedis Apoſtolicæ Legatos, qui Vigilium Pontificem Summum a calumniis tanta contentione vindicarunt, cum mihi ad Honorii litteras ventum eſt, ne hiſcere quidem auſos fuiſſe? Et non magis Orientales Epiſcopos, qui Honorium utcumque damnatum vellent, Legatorum ſermoni obſtitiſſe, illos interpellaſſe, fuiſſe oblocutos, eorum voces compreſſiſſe, eorum interceſſionem rejeciſſe, curaſſe denique ne quod hujus rei veſtigium in Actis appareret. Nam Sextæ Synodi Acta etſi non corrupta, mutila eſſe tamen tum hoc in loco, tum in aliis etiam, in Synopſi obſervavimus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

Sextæ Synodi auctoritas non imminuitur, ſi Epiſcopos Honorium anathemati injuria ſubjeciſſe dixerimus: cum aliud Synodi, aliud vero Epiſcoporum in Synodo judicium ſit; & Honorius non Synodi judicio, ſed Epiſcoporum conſpiratione damnatus fuerit.

I. Quamvis Honorius I. Pontifex Summus in Monothelitarum cauſſa non ſolum ab hæreſis vel leviſſima ſuſpicione, ſed ab omni etiam negligentiæ culpa remotus fuerit, illum tamen Epiſcopi in Sexta Synodo propter duas illas epiſtolas eidem affictas anathemate multare non dubitarunt, nulla diſquiſitione, animadverſione, diligentia ante adhibita, ut ne quid temere, & inconſiderate agerent. Quinimmo cum multa illis ante oculos verſarentur, quibus de litterarum earum ſuppoſitione ſaltem dubitare poſſent; nulla eorum tamen habita ratione, neque comperto litteras illas Honorio adſcriptas autographas eſſe; ſed quaſi Romanum Pontificem damnare geſtirent, Honorium tumultuoſiſſime adorti ſunt. Factum ab Epiſcopis inconſulte, temere, atque etiam, ſi dicendum eſt magis aperte, iniquiſſime. In quo fruſtra ſunt illi, qui, objecta nobis Sextæ Synodi Œcumenicæ auctoritate, ab

Digitized by Google

Honorii defenſione nos deterrere putant. Sextam Synodum Œcumenicam & nos quam qui maxime veneramur, & Catholicam Fidem ab eadem Synodo ſuſceptam atque expoſitam libentiſſime amplectimur, pro qua tuenda ſi mihi vita ponenda eſſet, præclare mecum actum putarem. Atqui aliud Synodi, aliud autem Epiſcoporum in Synodo judicium eſſe novi. Quam quidem diſtinctionem a priſcis Pontificibus Summis, iiſdemque & doctiſſimis, & Sanctiſſimis Damaſo, Xyſto III. Leone Magno, Gelaſio, & Gregorio itidem Magno jamdudum accepimus. Nam quemadmodum non omnis Epiſcoporum coitio, ne frequentiſſima quidem, Synodi habet auctoritatem; ut Sanctus Damaſus in epiſtola ad Illyrici Epiſcopos declaravit: *Neque præjudicium aliquod*, inquit, *fieri poteſt per numerum* Epiſcoporum *Arimino congregatum &c.* ita non omnia, quæ Epiſcopi in Synodo quamvis rite coacta definiunt, aut conſtituunt, Synodi decreta judicia habenda ſunt.

II. Et hoc illud eſt, quod Sanctus Xyſtus III. in epiſtola ad totius Illyrici Epiſcopos, illos monuit: *Nec his vos*, inquit, *fratres cariſſimi*, *conſtitutis*, *quæ præter Noſtra præcepta Orientalis Synodus decernere voluit*, *credatis teneri; præter id quidem*, *quod de Fide*, *Nobis conſentientibus*, *judicavit*. Quæ Sancti Pontificis verba ſive ad decreta quædam ab Epiſcopis in Synodo Œcumenica Epheſina ſancita; ut Holſtenius atque Tillemontius exiſtimarunt, ſpectent: ſive ad Concilii Conſtantinopolitani I. itidem Œcumenici Canones referantur: ſive denique ad Synodum illam ſub Proclo habitam ipſiuſmet Sancti Xyſti III. ætate; ut Petrus Cutantius opinatur, nihil moror: cum Sanctus Pontifex hoc nos doceat: non omne, quod in Synodo conſtituitur, Synodi aucto-

ctoritatem habere ; ſimulque nobis regulam tradat , qua utraque judicia , decreta , conſtitutiones Synodi ſcilicet , atque Epiſcoporum internoſcere poſſimus . Non ſolum enim ſi quid contra , ſed etiam ſi quid *præter* Apoſtolicæ Sedis *præcepta* in Synodo conſtituitur , ac decernitur , id non jam Synodi , ſed Epiſcoporum decretum judicium habetur . Quod quidem jus non a Sancto Xyſto III. primum inductum fuiſſe putare debemus ; cum multo ante a Sancto Julio I. fuerit commendatum in epiſtola prima ad Euſebianos : *An ignoratis* , ſcribebat Sanctus Pontifex , *hanc eſſe conſuetudinem* , *ut primum nobis ſcribatur* , *& hinc quod juſtum eſt* , *decernatur?* Quibus intelligimus , non Pontificem aliquem Romanum jus hoc ſibi ipſum ſumpſiſſe , ſed priſcis Eccleſiæ ſeculis conſuetudinem hanc ex Traditione ductam , ſervatam fuiſſe ; quam nos certe ad rationem Primatus a Chriſto Domino Sancto Petro collati referre debemus . Sed hæc alias pluribus : nunc teſtimoniis , quod a nobis poſitum eſt , confirmari oportet ; aliud nimirum eſſe Synodi judicium , aliud vero Epiſcoporum in Synodo .

III. Concilii Conſtantinopolitani I. Œcumenici Fidei definitionem Eccleſia Romana , ut Œcumenicæ Synodi ſententiam ſuſcepit ; Canones autem ut Epiſcoporum judicia prorſus rejecit : *Romana Eccleſia* , ſcribit Sanctus Gregorius Magnus epiſtola 24. lib. 7. *Canones Conſtantinopolitani Concilii* , *vel geſta Synodi illius hactenus non habet* , *nec accipit* : *in hoc autem eamdem Synodum accepit* , *quod eſt per eam contra Macedonium definitum* . Et Sanctus Leo Magnus in epiſtola 80. ad Anatolium , loquens de Canone tertio ab Epiſcopis in Synodo illa Œcumenica ſancito , illum appellat *Epiſcoporum ſubſcriptionem caducam* ; non autem Synodi Œcumenicæ conſtitu-

tio-

Digitized by Google

tionem. In Concilio Epheſino Œcumenico III. Sanctus idem Leo Magnus Synodi definitiones ab Epiſcoporum judiciis ſecrevit: *In Epheſina Synodo*, ſcribit Sanctus Pontifex epiſtola 92. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum, *quæ impium Neſtorium cum ſuo dogmate perculit, Juvenalis Epiſcopus ad obtinendum Provinciæ principatum credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare*. Fidei definitionem adverſus Neſtorium, ejuſque damnationem pro Synodi judicio Sanctus Leo Magnus habuit, Decretum illud autem, quo Juvenalis ambitioni obſecuti fuiſſe videntur Epiſcopi, a Synodi conſtitutionibus procul amandavit. In Concilio Calchedonenſi Œcumenico IV. Sanctus idem Leo Magnus Synodi definitionem ab Epiſcoporum judiciis aperte diſtinxit; atque ſæpe profeſſus fuit, confirmare ſe geſta Synodalia *in ſola videlicet Fidei cauſſa*, *propter quam Generale Concilium placuit congregari*. Et in epiſtola 92. *Quicquid*, inquit, *præter cauſſas Synodalium Conciliorum ad examen Epiſcopale defertur, poteſt aliquam dijudicandi habere rationem &c.* Ut aliud Synodi, aliud Epiſcoporum judicium eſſe cognoſcere poſſis. Quinimmo in epiſtola 79. ad Pulcheriam Auguſtam Canonem vigeſimum octavum, quem Epiſcopi in ea Synodo Œcumenica ſanxerant, non jam Synodi Œcumenicæ Canonem, ſed *conſenſionem Epiſcoporum* nominavit. Et in epiſtola 89. ad Marcianum Imperatorem, cum de iis, quæ illo Canone continentur, ſermonem haberet: *Quæ*, inquit, *per occaſionem Synodi male ſunt attentata*.

IV. Ex quibus & illud, quod principio a nobis poſitum fuit, comprobatur: ex iis ſcilicet, quæ in Synodis conſtituuntur, alia judicia definitiones Synodorum eſſe, alia vero Epiſcoporum; & regula etiam ad utra-

que

que internoſcenda illuſtratur : ea nempe Synodorum decreta habenda eſſe, quæ in cauſſa, propter quam Synodus fuit coacta, &, conſentiente Apoſtolica Sede, fuerint conſtituta : quæ vero *præter* Apoſtolicæ Sedis *præcepta* prodierint, ea non Synodi, ſed Epiſcoporum dumtaxat judicia habenda eſſe. Quæ omnia complexus eſt Scriptor ille in Tomo de Anathematis vinculo, quem ſub Sancti Gelaſii I. nomine Anaſtaſius, Bibliothecarius laudavit : id ſcilicet Synodi auctoritatem habere, cujus cauſſa Synodus coacta fuit, & quod Apoſtolica Sedes fieri juſſerit : *Alia autem*, addit, *quæ per incompetentem præſumptionem prolata ſunt, vel potius ventilata, quæ Sedes Apoſtolica gerenda nullatenus delegavit*, ea Synodi auctoritatem nullam habere.

V. Diſtinctione hac conſtituta, videamus : an, quod in Conciliis Œcumenicis Secundo, Tertio, & Quarto uſuveniſſe obſervavimus, ut Epiſcopi quædam ipſi ſciſcerent, quæ Synodalium judiciorum vim non haberent, in Sexta hac Synodo idem acciderit. Nam, ut inquibat Sanctus Leo Magnus in epiſtola 92. *Subrependi occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob incurrentes cauſſas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile eſt, ut cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram moliatur appetere*. Hæc, quæ de Œcumenicis Synodis generatim Sanctus Pontifex pronunciavit, in Sextam hanc Synodum mihi aptiſſime cadere videntur ; in qua *cupiditas improborum aliquid ſupra menſuram molita eſt appetere*, Romanum Pontificem anathemati ſubjiciendo : in qua quædam *per incompetentem audaciam*, ut Scriptor Tomi de Anathematis vinculo diſſeruit, *prolata ſunt*; *Quæ Sedes Apoſtolica nullatenus delegavit* : *Quæ*, ut Sanctus Xyſtus III. ſcripſit, *præter noſtra præcepta Orienta-*

lis

lis Synodus decernere voluit. An non Sanctus Agatho Pontifex Summus Epiſcopis, quæ in Synodo gerenda eſſent, litteris ſuis præſcripſit? Nonne Epiſcopi ejus litteras ſuſceperunt, & Synodi formam ab illo conſtitutam ſequi ſe debere profeſſi ſunt in epiſtola Synodica, quam ad illum ſcripſerunt? *Anathematibus*, inquiunt Sextæ Synodi Epiſcopi, *interfecimus ex ſententia per ſacras veſtras litteras de iis prius lata, videlicet Theodorum, Sergium, Honorium &c.* Quando autem, obſecro, Sanctus Agatho litteris ſuis Honorium anathematizaverat?

VI. Sed Epiſcopi iſti cum intelligerent, ita ſe Sancti Agathonis præſcriptione teneri, ut, ſi quid in re præſertim tam gravi decernerent, quod ab ejus ſententia diſcederet, numquam illud ad Synodi judicium referri poſſet: ut Honorium non ſuo, ſed Synodi judicio damnatum fuiſſe poſteris perſuaderent, Sancti Agathonis præſcriptum in hoc quoque negotio ſecutos fuiſſe ſe, aperte mentiti ſunt. Verum tantum abeſt, ut Sanctus Agatho Honorium aut damnaverit, aut a Sexta Synodo damnari permiſerit; ut immo illum in ſuis litteris, quibus Synodi formam conſtituit, commendaverit: *Apoſtolicæ memoriæ*, ſcripſit Sanctus Pontifex in litteris ad Conſtantinum, *meæ parvitatis prædeceſſores, ex quo novitatem hæreticam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Præſules introducere conabantur, numquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, ut a pravi dogmatis hæretici errore ſaltem tacendo deſiſterent &c.* Quæ ad Honorium maxime ſpectant, qui eo tempore, quo Sergius Conſtantinopolitanus Epiſcopus hæreſim introducere conabatur, Pontifex Summus erat. Igitur cum Honorius in Sexta Synodo *præter Apoſtolicæ Sedis præcepta* ab Epiſcopis damnatus fuerit, ejuſmodi damnatio non jam ad Œcume-

nicæ

Digitized by Google

nicæ Synodi judicium , ſed ad Epiſcoporum , qui in Synodo præſentes aderant , conſpirationem eſt referenda . Quæ quidem Epiſcoporum ſententia non magis apud nos valere debet , quam valuit Epiſcoporum ſententia in Secunda , Tertia , & Quarta Synodo Œcumenica . Quamobrem Hadrianus II. in Romana Synodo , cum Honorii damnationem memoraret , Honorium non a Sexta Synodo , ſed ab Orientalibus Epiſcopis damnatum fuiſſe prudens animadvertit : *Licet Honorio* , inquit Hadrianus II. *ab Orientalibus anathema dictum ſit &c.* Sciebat enim aliud Synodi , aliud autem Epiſcoporum in Synodo eſſe judicium ; & Honorium non Synodi , ſed Epiſcoporum dumtaxat judicio , ſeu conſpiratione magis damnatum fuiſſe .

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Etſi Sanctus Leo II. Pontifex Summus Sextam Synodum ſuſceperit, judicium tamen de Honorio ab Epiſcopis in ea habitum numquam probavit.

I. Honorium præter, immo contra Apoſtolicæ Sedis præcepta ab Epiſcopis in Sexta Synodo fuiſſe damnatum, atque iccirco non Synodi, ſed Epiſcoporum judicium illud habendum eſſe, Capite ſuperiore demonſtravimus. Non deſunt tamen, qui putant, Sancti Agathonis ſucceſſorem Sanctum Leonem II. ad quem, deceſſore mortuo, Sextæ Synodi Acta miſſa ſunt, Monothelitarum damnationem a Synodo factam confirmando, etiam Honorium damnaſſe. Ex quo illud ſequeretur, Honorii damnationi robur acceſſiſſe ex conſenſione Apoſtolicæ Sedis; atque adeo perinde habendam, ac ſi a Synodo facta fuiſſet. Non me fugit, judicii Synodalis argumentum maximum eſſe Apoſtolicæ Sedis de eo factam confirmationem. Ubi enim Pontifex Summus, quæ in aliqua Synodo conſtituta ſunt, probat; eorum auctoritatem nemini in dubium vocare licet: & ſupervacaneum eſſet curioſe quærere, an Apoſtolica Sedes id in Synodo fieri juſſerit, quod ipſamet aſſenſu ſuo factum comprobaſſet. Nihil enim intereſt, utrum Sedes Apoſtolica, quæ in

Digitized by Google

in Synodo tractari præcepit, confirmaverit; an quæ Epiſcopi judicio ſuo tractanda putarunt, poſtmodum approbaverit: cum Summus Pontifex utriſque tribuat auctoritatem. Quamobrem Epiſcopi in Concilio Calchedonenſi, cum quædam præter Romani Pontificis præcepta ſtatuiſſent, a Sancto Leone Magno poſtularunt, ut ea firmare vellet; neque diſſimularunt, tum demum conſtitutiones illas ſuas Canonum vim habituras, Synodales conſtitutiones fore, cum eas Pontifex Summus probaſſet.

II. Atqui nos non in juris, ſed in facti quæſtione verſamur: hoc eſt, non illud quæritur, an Pontificis Summi confirmatione judicium Epiſcoporum Synodale fiat; id enim nemo negaverit. Sed hoc in quæſtionem vocatur: an Sanctus Leo II. Epiſcoporum judicium in Honorii cauſſa confirmaverit; quod ſi quis factum fuiſſe docuerit, tum enim vero Honorium Sextæ Synodi judicio damnatum fuiſſe fatebimur. Hoc docere poſſe ſe Gallicanæ Declarationis Defenſor perſuaſum habuit lib. 12. cap. 26. atque confirmationis damnationis Honorii teſtem allegavit Anaſtaſium Bibliothecarium, „ qui, „ inquit, „ „ ab his temporibus haud multum remotus, ex Scriniis Apoſtolicæ Sedis Romanorum Pontificum ſcripſit „ hiſtoriam. „ Anaſtaſii ego teſtimonium libenter accipio, qui cum eſſet Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, quamvis, quod hic dicendum ſit, ab ætate Sancti Leonis II. non parum remotus, cum ducentis fere annis poſt Sanctum Pontificem Anaſtaſius ille vixerit; attamen ex ſcriniis cognoſcere poterat, quid quiſque Pontifex ſcripſerit. Quid igitur habet Anaſtaſius de confirmatione damnationis Honorii facta a Sancto Leone II? Hæc habet, inquit eruditus ille Defenſor: *Hic ſuſcepit Sanctam*

Digitized by Google

ctam Sextam Synodum, quæ per Dei providentiam nuper in Regia urbe celebrata eſt . . . in qua condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius, & Pyrrhus. Hæccine ſunt Anaſtaſii Bibliothecarii verba, qui, cum rem narraret ducentis fere ante annis geſtam, *NUPER* Sextam Synodum celebratam fuiſſe ſcriberet? Verbum illud *nuper*, ut Combeſiſius animadvertit, ſatis aperte indicat, Scriptorem hunc alium eſſe ab Anaſtaſio. Præterquamquod nemo ignorat, *Librum Pontificalem*, ex quo verba illa ſumpta fuerunt, Anaſtaſio Bibliothecario tribui non poſſe; qui eorum dumtaxat Summorum Pontificum, qui ſua ætate vixerunt, hiſtoriam texuit: quemadmodum Ciampinus in *Examine Libri Pontificalis* oſtendit.

III. Sed ne eruditus ille Defenſor Anaſtaſium fruſtra laudaſſe videatur, Anaſtaſii ego verba proferam, quibus quiſque intelligat, quatenus Sanctus Leo II. *Sextam* Synodum confirmaverit. Nam cum Anaſtaſius in epiſtola ad Johannem Diaconum Romanum multa ad Honorii defenſionem ſcripſiſſet, & Epiſcopos, qui Honorium in Sexta Synodo anathemati ſubjecerunt, *calumniatores* appellaſſet: ne quis Œcumenicæ Synodi auctoritatem objiceret, ita prævertit: *Sed ne videamur tam Sanctam, tamque reverendam Synodum accuſare, vel temere reprehendere, licere nobis opinamur de illa ſentire, quæ Sanctos Patres noſtros de Calchedonenſi magna Synodo ſenſiſſe non ignoramus: quorum unus uſque ad prolationem Canonum tantummodo hanc ſuſcipiendam fore ſignavit . . . Et Secundam Univerſalem Synodum, quæ primo Conſtantinopoli celebrata eſt, in cauſſa Primatus Eccleſiarum Sedes Apoſtolica non admittit: quin & omnes Synodos ſic recipiendas decernit, ut Calchedonenſem Synodum admittendam fore Sanctus Gelaſius Papa deſcribat, pro Fidei ſcilicet com-*

munio-

Digitized by Google

munione & veritate Catholica & Apoſtolica , pro qua hanc fieri Sedes Apoſtolica delegavit , factamque firmavit . Hæc ſcilicet Anaſtaſii Bibliothecarii verba ſunt : hic eſt Anaſtaſius ille Bibliothecarius , qui ex ſcriniis Apoſtolicæ Sedis cognoſcere poterat , num Sanctus Leo II. cum Sextam Synodum confirmavit , quæ de Honorii cauſſa in eadem Synodo geſta ſunt , ſimul probaverit .

IV. Atqui cum Anaſtaſius ſcribere non dubitaverit , ita hanc Sextam Synodum ſuſcipiendam eſſe , quemadmodum Sancti Patres Secundam & Quartam Œcumenicas Synodos ſuſceperunt , quibus in Fidei cauſſa dumtaxat auctoritatem ſummam Romani Pontifices tribuere ; nihilque aliud qualibet in Synodo ratum firmumque habendum eſſe , quod non Apoſtolica Sedes aut faciendum præceperit , aut factum confirmaverit : dicamus oportet, illum nihil quicquam in Apoſtolicæ Sedis ſcriniis repeririſſe , quo Honorii damnatio a Sancto Leone II. probata fuerit ; quinimmo perſuaſum habuiſſe , judicium de Honorio in Sexta Synodo ab Epiſcopis pronunciatum ab Apoſtolica Sede numquam confirmatum fuiſſe . Porro cum eruditus ille Defenſor , qui Anaſtaſium a ſe ſtare falſo putavit , ejus teſtimonio fidem , ut par eſt, tribuerit : ipſemet ſi viveret , & Anaſtaſii , quæ nos attulimus verba legeret , fateri cogeretur , a Sancto Leone II. qui Sextam Synodum confirmavit , Honorii damnationem non fuiſſe probatam .

V. Ceterum neque illa , quæ ex Libro Pontificali afferuntur , & Anaſtaſii Bibliothecarii nomen falſo præferunt , confirmationem damnationis Honorii a Sancto Leone II. factam fuiſſe ſignificant . *Hic* , ſcribit Hiſtoricus, *ſuſcepit Sextam Synodum* . Quid tum poſtea ? Probavit ſcilicet Sanctus Leo II. Sextam Synodum , quæ

Ca-

Digitized by Google

Catholicam Fidem a Sancto Agathone propoſitam acceperat ac publicaverat. An vero Sanctus Leo II. Honorii damnationem in Sexta Synodo ab Epiſcopis factam ſimul probaverit, Hiſtoricus neque ait, neque negat. In eodem Libro Pontificali in Vita Sancti Leonis Magni ſcriptum eſt: *Hic firmavit Synodum Calchedonenſem*: anne continuo dicemus, Sanctum Leonem Magnum confirmaſſe cum Fidei definitione etiam ea, quæ Epiſcopi ipſi arbitrio ſuo ſciverant, quæ immo reſcidit ille, atque irrita fecit? Hiſtoricus idem refert in Sexta Synodo Honorium damnatum fuiſſe; *In qua*, inquit, *condemnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius &c.* Fatemur & nos quoque in Sexta Synodo Honorium damnatum fuiſſe: at non a Sexta Synodo; ſed ab Epiſcopis, qui in Synodo præſentes aderant: quemadmodum & in Conciliis Conſtantinopolitano, Epheſino, & Calchedonenſi quædam conſtituta ſunt, ſed non a Conciliis; ut antea obſervavimus.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Sancti Leonis II. epiſtolam ad Conſtantinum Imperatorem, qua Sextam Synodum confirmavit, interpolatam fuiſſe demonſtratur.

I. ANaſtaſii Bibliothecarii graviſſimo teſtimonio Capite ſuperiore docuimus, Sextam Synodum, quod ad Honorii damnationem attinet, ab Apoſtolica Sede haudquaquam confirmatam fuiſſe: ex quo illud conſequitur, fieri non poſſe, ut Sanctus Leo II. litteras illas ſcripſerit, quibus Honorii damnatio ab eo probari videtur. Nam cum Anaſtaſius Bibliothecarius ex ſcriniis Apoſtolicæ Sedis quid quiſque Pontifex Summus hac de re ſcripſerit cognoſcere poſſet; cumque idem ipſe profeſſus fuerit, Sextam Synodum, quatenus ad Honorii damnationem ſpectat, a Sede Apoſtolica non fuiſſe probatam: illud conficitur, neque Sanctum Leonem II. qui Sextam Synodum confirmavit quicquam ſcripſiſſe, quod ad Honorii damnationis confirmationem trahi poſſit: quo uno argumento tres illæ, quæ circumferuntur Sancti Leonis II. nomine epiſtolæ, Sancto Pontifici abjudicari debent, quibus contra, atque Anaſtaſius teſtificatus eſt, continetur. Verum, ut litterarum iſtarum falſitas magis appareat, de

Digitized by Google

de ſingulis ſeorſum videamus, & primum epiſtolam Sancti Leonis II. ad Conſtantinum Imperatorem datam excutiamus.

II. Sanctum Leonem II. Imperatori, qui ad illum ſcripſerat, reſpondiſſe non dubito; atque hanc illi fortaſſe dediſſe epiſtolam, quæ nunc exſtat, ſed quam græculus quidam interpolavit. Latinum epiſtolæ hujus autographum exemplum intercidit; & quod nunc habemus ex græco latine fuit redditum. Temporis mendoſam notam nihil moror, cum ex librarii vel imperitia, vel negligentia id accidere potuerit. Sed qui epiſtolam ipſam percurret, non unum fraudis veſtigium in ea reperiet: *Anathematizamus novi erroris inventores, ideſt, Theodorum Pharanitanum Epiſcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paullum, Petrum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſubſeſſores magis, quam præſides. Nec non & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ Traditionis doctrina luſtravit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit: & omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt:* Ita ſcriptum eſt in epiſtola Sancti Leonis II. quæ nunc circumfertur. Atqui non ita profecto Sanctus Pontifex ſcripſerat, neque ſane ita ſcribere poterat. Nam quis non videat, verba illa: *Nec non & Honorium, qui hanc Apoſtolicam Eccleſiam non Apoſtolicæ Traditionis doctrina luſtravit, ſed profana proditione immaculatam maculari permiſit*: verba hæc, inquam, fuiſſe inſerta, & cum iis, quæ ſequuntur, *Et omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt*, non cohærere? At ſi illa dempſeris, *Nec non & Honorium &c.* poſtrema prioribus recte conjunxeris. Poſtquam enim Sanctus Leo Theodorum, Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paullum, atque Petrum anathematizaverat, qui jam omnes in hæreſi ſua obierant; ſubjecit, *Et omnes,*

qui

Digitized by Google

qui in ſuo errore defuncti ſunt : Honorium autem in hæreſi Monothelitarum defunctum fuiſſe quis dixerit ? Ut Sanctus Leo, poſtquam Honorium nominaſſet, continuo ſubjeciſſet, *Et omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt*. Quinimmo, poſtquam Sanctus Pontifex Theodorum ceteroſque hæreticos anathematizavit, verba illa de induſtria poſuiſſe dicam, *Et omnes, qui in ſuo errore defuncti ſunt*: ut Honorium, qui certe in Eccleſiæ pace obiit, ab anathemate vindicaret, neque quiſquam illum cum iis hæreticis, ne ſuppreſſo quidem nomine, damnatum fuiſſe dicere poſſet.

III. In alia quoque epiſtolæ hujus parte inſitio verborum quorumdam perſpicitur : *Sicut ſuſcepimus, atque firmiter prædicamus Sancta quinque Univerſalia Concilia, ita & quod nuper pio veſtræ Serenitatis anniſu celebratum eſt Sanctum Sextum Concilium pari veneratione ſuſcipimus, & hoc cum eis digne connumerari, tamquam una & æquali Dei gratia congregatum, decernimus : Et, qui in eo fideliter convenerunt Chriſti Eccleſiæ Sacerdotes, inter Sanctos Eccleſiæ Patres atque Doctores adſcribendos æque cenſemus. Nam & iſtis, ſicut & illis, idem Dei Spiritus ſalutem animarum operatus eſt. Et hujus immarceſcibilis fructus Imperiali pietati veſtræ a Domino reputabitur, cujus per ſecula prædicando labore, mirabiliter Dei gratia cooperante, perfectum eſt*. Verba illa, *Et, qui in eo fideliter convenerunt Chriſti Eccleſiæ Sacerdotes, inter Sanctos Eccleſiæ Patres atque Doctores adſcribendos æque cenſemus. Nam & iſtis, ſicut & illis, idem Dei Spiritus ſalutem animarum operatus eſt* : Verba iſthæc, inquam, a græcis profecto interpoſita fuerunt, quæ orationis filum abrumpunt, & neque primis periodi verbis, neque poſtremis reſpondent. At ſi, quæ interjecta ſunt, tollis,

Digitized by Google

aptiſſime cum primis poſtrema cohæreſcent. Præterquamquod quis, obſecro, ut Sanctos Eccleſiæ Patres & Doctores colat Epiſcopos omnes, qui Sextæ Synodo adfuerunt? Quorum ea demum fuit erga Eccleſiam magnitudo meritorum, ut Catholicam Fidem a Sancto Agathone Pontifice Summo illis propoſitam, atque expoſitam ſuſciperent. Anne etiam Georgius ille Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui hac in Synodo ſeu vere ſeu ficte hæreſim ejuravit, Sanctus Eccleſiæ Pater nobis erit? Etiamne Epiſcopi illi Monothelitæ, qui depoſitionis metu Fidem Catholicam in Synodo amplecti viſi ſunt, in Sanctorum Patrum numero erunt? Etiamne tres illi & quadraginta Epiſcopi, qui undecim poſt annis, adjunctis ſibi ſociis, Canones illos in pſeudo-Synodo Trullana ſcriptitarunt, quibus Canonibus, ſi tamen Canones illos appellare fas eſt, & Carthaginenſem Synodum de rebaptizandis hæreticis ſuſceperunt, & Clericorum caſtitatem tamquam Apoſtolicæ Traditioni contrariam vituperarunt? Attamen in hujuſmodi fabricandis Canonibus operam ſuam poſuerunt tres & quadraginta ex Epiſcopis illis, qui Sextæ Synodo adfuerunt: quos, ſi nebulonem illum audiamus, qui Epiſtolæ Sancti Leonis II. neniam illam inſuit, ut Sanctos Eccleſiæ Patres atque Doctores revereri, & colere deberemus.

IV. Sed non me fugit, quorſum verba illa fuerint inſerta. Nam cum græci metuerent, ne ſibi quiſquam vitio verteret, quod Honorio anathema dicere non veriti fuiſſent; ut os cuilibet obſtruerent, atque ſi fieri poſſet, deterrerent omnes ab Honorii, quem ipſi damnaverant, defenſione: id a Sanctis Eccleſiæ Patribus, & Doctoribus factum fuiſſe perſuadere voluerunt. Et fortaſſe verba illa interpoſita fuerunt, poſtquam Anaſtaſius Bi-

Digitized by Google

Bibliothecarius ſeculo nono, Honorii damnationem ab Epiſcopis in Sexta Synodo factam conſiderans, *calumniatores* illos ſalutare non dubitavit. Scribens enim ad Johannem Diaconum Romanum memorat epiſtolam illam Honorii nomine in Sexta Synodo lectam: *de qua*, inquit, *Honorium anathematizandi fomitem calumniatores* ſuſceperunt. Quam græci ignominiam ut ab ſe, ut cumque poſſent, depellerent; qui Sextæ Synodo adfuerunt Epiſcopi, quique Honorium damnarunt, Sanctos Patres atque Eccleſiæ Doctores a Sancto Leone II. habitos fuiſſe, ejuſque Decreto ab omnibus tales habendos eſſe, commenti ſunt.

CAPUT XXVII.

Ejuſdem Sancti Leonis II. epiſtolas ad Ervigium Regem; & ad Hiſpaniæ Epiſcopos, interpolatas fuiſſe demonſtratur.

I. EX Capitulo primo, & ſecundo Concilii Toletani XIV. cognoſcimus, Sanctum Leonem II. ad Ervigium Regem & ad Hiſpaniæ Epiſcopos litteras dediſſe, ut Catholicæ Fidei definitio, in Sexta Synodo expoſita, ab omnibus Epiſcopis Hiſpanis ſubſcriberetur. Duæ nunc circumferuntur Sancti Leonis II. epiſtolæ, ipſæque eſſe dicuntur, quas ille ad Hiſpaniæ Regem, & ad Epiſcopos miſit; atque in utraque epiſtola Honorii damnationem Sanctus Leo probare perhibetur. Nam in epiſtola ad Ervigium Hiſpaniæ Regem ita ſcriptum eſt: *De Catholicæ Eccleſiæ adunatione projecti ſunt Theodorus Pharanitanus Epiſcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, &c. & una cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apoſtolicæ Traditionis regulam, quam a prædeceſſoribus ſuis accepit, maculari conſenſit*. In epiſtola vero ad Hiſpaniæ Epiſcopos hæc legimus: *Æterna condemnatione multati ſunt Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus &c. cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apoſtolicam auctoritatem, incipientem exſtinxit, ſed negli-*

Digitized by Google

gligendo confovit. Quæ nemo a Sancto Leone II. ſcripta fuiſſe credet, qui ſecum reputaverit, quid Johannes IV. quid Sanctus Martinus I. quid Sanctus Agatho denique ad Honorii commendationem antea dixerant; quidve poſtea Anaſtaſius Bibliothecarius de hac Sexta Synodo, quod nimirum ad Honorii damnationem pertinet, fuit teſtificatus: eam ſcilicet, hac in parte, ab Apoſtolica Sede non fuiſſe probatam. Sed multa præterea epiſtolis illis continentur, ex quibus eas vel ſuppoſitas, vel certe interpolatas fuiſſe cognoſcimus; perinde ac quæ ad Conſtantinum Imperatorem data fuit, de qua Capite ſuperiore diſſeruimus.

II. In epiſtola ad Ervigium Regem Imperator Conſtantinus ad Sanctum Agathonem Pontificem Summum de Sexta Synodo cogenda ſcripſiſſe dicitur *Indictione nona*; cum tamen Imperator non ad Sanctum Agathonem, ſed ad ejus deceſſorem ſcripſerit; neque *Indictione nona*; cum tribus ante annis Donus jam obiiſſet: ſed Indictione ſexta ad Donum Conſtantinus Imperator epiſtolam miſit, anno ſcilicet ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo, ut in hæreſis Monothelitarum hiſtoria obſervavimus. Error, inquies, in numerum Indictionis irrepſit. Eſto: ſed quid de Sancto Agathone, ad quem Imperator ea in epiſtola ſcripſiſſe dicitur? Cum tamen Conſtantinus ad Donum, non ad Sanctum Agathonem litteras dederit. Unde autem colligitur, quærit annotator marginalis, præter epiſtolam ad Donum datam, nullam eadem de re ad Sanctum Agathonem ab Imperatore ſcriptam fuiſſe? Unde, rogas? Quaſi vero non ipſemet Sanctus Agatho id plane declaraverit in ſuis ad Imperatorem litteris: in quibus cum narret accepiſſe ſe Imperatoris epiſtolam, quam ille ad Donum ſcripſerat, eaque exci-

tatum

Digitized by Google

tatum fuiſſe ſe profiteatur ad cogendam Synodum; multo magis, ſi quam illi epiſtolam Imperator dediſſet, ejus mentionem faceret. Conſtantinus itaque de Sexta Synodo cogenda unas ſcripſit litteras, quas ad Donum Pontificem Summum miſit, Indictione ſexta: qui vero epiſtolam ad Ervigium Hiſpaniæ Regem Sancti Leonis II. nomine confinxit, (nam quam Sanctus Pontifex ſcripſit, intercidiſſe facile credam) Conſtantinum ad Sanctum Agathonem Indictione nona ſcripſiſſe mentitus eſt.

III. Sed multo plura falſitatis argumenta in epiſtola ad Hiſpaniæ Epiſcopos apparent. Mitto quæ ex falſa Indictionis nota: mitto quæ ex Archiepiſcopis ad Synodum ab Apoſtolica Sede pergere juſſis elici poſſunt; quæ Combefiſius diluere conatus: graviora conſidero, quæ niſi me animus fallit, diſſolvi non poſſunt. Nam in ea epiſtola ſcriptum eſt, Imperatorem *ex totius mundi partibus* Epiſcopos ad Sextam Synodum congregaſſe. Atqui Hiſpani ad Sextam Synodum neque evocati fuerant. Anne Hiſpani extra mundi fines tunc erant conſtituti? Anne tanta Eccleſiæ parte prætermiſſa, *ex totius mundi partibus* Epiſcopi convocati dici poterant? Hoc ſcilicet fugit, qui epiſtolam hanc Sancto Leoni II. ſuppoſuit. Sed eſt gravius quiddam, quod ſuppoſitionem magis declarat. Inducitur Sanctus Leo II. qui *Sancta Quinque Univerſaliæ Concilia*, quæ Epiſcopi in hac Sexta Synodo *legerunt*, *ac retractarunt*, commendet; quique Synodum hanc Conſtantinopolitanam, quæ ceteroquin revera eſt Sexta Synodus Œcumenica, *Sextam Synodum*, ad Hiſpanos Epiſcopos ſcribens, ſemel atque iterum appellet. Hoc nimirum ſuppoſitionis argumentum maximum eſt. Quis enim neſciat, ea ætate Hiſpanos, quamvis cum Romana Eccleſia conjuncti eſſent, attamen

Digitized by Google

men etiam tum Quintam Synodum, quæ non jam Fidem, ſed perſonas reſpiceret, non ſuſcepiſſe? Id quod vel ex ipſo Concilio Toletano XIV. quo Hiſpaniarum Epiſcopi Synodum hanc Sextam ſolemniter receperunt, cognoſcimus. Nam Capitulo quinto memorant: *Geſta* Concilii hujus *Nicenæ*, *Conſtantinopolitanæ*, *Epheſinæ*, *&* *Calchedonenſis Fidei eſſe concordantia*: & Capitulo ſexto: *Habebunt ergo ſui ordinis locum*: Capitulo ſeptimo denique: *Poſt Calchedonenſe igitur Concilium hæc debito honore, loco, & ordine collocanda ſunt*. Quintam videlicet Synodum prætermittunt, & hanc, quæ Sexta eſt, quinto loco ponunt.

IV. Quam belle hæc reſpondent epiſtolæ Sancti Leonis II? Hiſpani Epiſcopi Quintam Synodum rejiciebant, averſabantur, eamque a Synodorum loco & ordine procul amandabant: Sanctus Leo II. vero cum hoc non ignoraret, ad Epiſcopos illos ſcribens, ut Sextam Synodum ſuſciperent, Synodum iſtam *Quinque* Univerſalium Conciliorum auctoritatem ſecutam fuiſſe memoraret, Synodum *Sextam* ſemel atque iterum appellaret? Siccine Pontifex ſapientiſſimus ageret? Quem ego magis credam de Sancto Gregorio Magno exemplum ſumpſiſſe: qui, cum Theodolindam Longobardorum Reginam ad Eccleſiæ Catholicæ communionem, a qua ſe ſe ſuſpenderat, redire hortaretur; &, cum a Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi jam intellexiſſet, quantum illa a Quinta Synodo animo eſſet alieno: in litteris, quas ad illam dedit, Quintæ Synodi mentionem nullam fecit; ſed quatuor dumtaxat Concilia Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Calchedonenſe memoravit, ut ex ipſa epiſtola, quæ eſt 33. lib. III. videre licet. Quod de induſtria feciſſe ſe Sanctus Gregorius profeſſus fuit in litteris

teris

Digitized by Google

teris ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem datis : *Facimus*, inquit, *ſicut vobis placuit, ut Quatuor Synodos ſolummodo laudaremus; de illa, quæ a nobis Quinta nominatur, nullam mentionem faceremus*. Cautionem, quam Sanctus Gregorius Magnus adhibuit, a Sancto Leone II. in ſimillima cauſſa neglectam fuiſſe nemo dixerit. Præterquamquod Hiſpani Epiſcopi, qui a Synodo Quinta abhorrebant, & Sextam tamen loco Quintæ libentiſſime ſuſceperunt, manifeſte declarant, Sanctum Leonem nihil quicquam de Quinta Synodo ad illos ſcripſiſſe, nec umquam Synodum, quam illis ſuſcipiendam exhibuit, Sextam Synodum appellaſſe.

V. Falſitatis argumentum aliud apparet in verbis illis: *Definitionem Sancti Sexti Concilii, & Acclamationem, quæ Proſphoneticus dicitur, pariterque Edictum Imperatoris in Latinum de græco translatum veſtræ dilectioni direximus*. Quorſum enim Sanctus Leo ad Hiſpaniæ Epiſcopos ſermonem acclamatorium, & Imperatoris Edictum mitteret? Nam, cum Fidei definitionem a Sexta Synodo conſcriptam Hiſpanis Epiſcopis exhiberet, qua & Monothelitícæ hæreſis damnatio, & Catholicæ doctrinæ expoſitio continebatur: quid opus erat Proſphonetico, & Imperatoris Edicto? Hiſpanis quidem nihil: ſed ei, qui litteras ſuppoſuit & Proſphonetico, & Edicto opus erat; cum utroque ſcripto Honorii damnatio refricetur, ejuſque nomen proſcindatur. Atqui in Proſphonetico *Quintum Concilium* memoratur: in Edicto vero ſcriptum eſt: *Suſcipimus & amplectimur Sanctas & Univerſales Quinque Synodos*. Hujuſmodi ſcripta ad Hiſpanos Sanctus Leo mitteret? Hæccine Hiſpani ſuſciperent, qui Quintam Synodum reſpuebant? Verum aliquid amplius in Edicto ſcriptum eſt: *Suſcipimus quoque & quæ in temporibus*

ribus Juſtiniani congregata eſt Synodus contra Dei impugnatores Origenem &c. & obſcæna Theodori Mopſveſteni & judaica ſcripta. Quæ ſane Sanctus Leo Hiſpanis exhiberе non poterat, quin illos a Sexta Synodo ſuſcipienda prorſus averteret. Nam Hiſpani Theodorum Mopſveſtenum in cœlum ferebant: de quo non ita multo ante Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis ſcripſerat in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum: *Hunc Acephalorum Epiſcopi in præjudicio Calchedonenſis Concilii damnare poſt mortem cenſuerunt; dum conſtet eum laudabilium virorum teſtimoniis clariſſimum Eccleſiæ doctorem fuiſſe*.

VI. Quæ cauſſa denique falſificum hominem impulit, ut Sancto Leoni II. litteras iſtas ſupponeret, iiſque & Proſphoneticum, & Imperatoris Edictum ad Hiſpanos miſſa fuiſſe mentiretur: ea ipſa vehementer obſtitit, quominus litteras illas ad Hiſpanos Sanctus Leo daret, neve Proſphoneticum, aut Edictum ad illos mitteret. Nam iſtiuſmodi litteræ iccirco confictæ fuerunt, ut Sanctus Leo II. Honorii damnationem & probaſſe, & apud Hiſpanos divulgaſſe videretur. Atqui Hiſpani concoquere non poterant, ut qui in Eccleſiæ pace obierant, poſt mortem tum damnarentur: & cum ob alias cauſſas, tum maxime propter hanc Hiſpani Quintam Synodum rejiciebant. Qui igitur fieri potuit, ut Sanctus Leo, qui Hiſpanos Sextam Synodum ſuſcipere vehementer cuperet: Honorii damnationem illis objiceret; & judicium, quod neque Synodus fecerat, neque ipſe probaverat, neque Hiſpani reciperent, ut Synodalem ſententiam illis obtruderet? Hæc ſi quis ſecum reputaverit, in animum ſtatim inducet, Sanctum Leonem, cum ad Epiſcopos Hiſpanos ſcripſit de Sexta Synodo ſuſcipienda, Synodum hanc numquam ***Sextam*** appellaſſe, ***Synodum Quintam*** num-

Digitized by Google

quam memoraſſe, neque Proſphoneticum, neque Imperatoris Edictum ad illos miſiſſe, Honorii damnationis nuſquam meminiſſe: ac proinde epiſtolam, quæ nunc exſtat, quæque illa omnia præfert, aut Sancto Leoni fuiſſe ſuppoſitam, aut certe maximam partem adulteratam.

VII. Quid igitur, quæret de me aliquis, Sanctus Leo II. ad Epiſcopos Hiſpanos de hac Sexta Synodo ſcripſit? Melius eſt de ipſis Epiſcopis quærere; qui in Capitulo ſecundo Concilii Toletani XIV. narrant, accepiſſe ſe *per Romani Præſulis bajulum Geſta Synodalia, & epiſtolaris gratiæ conſulta, per quæ omnis ordo geſtorum, geſtaque ordinum dilucide, ut acta ſunt, patuerunt*. Igitur Sanctus Leo litteris ſuis, non autem Proſphonetico, aut Imperatoris Edicto Hiſpanos Epiſcopos certiores fecit de iis, quæ in Sexta Synodo acta fuerant. Quænam vero fuerint *Geſta* illa *Synodalia*, quæ cum ſuis litteris Sanctus Leo ad Hiſpanos miſit, ipſimet declarant in Capitulo V. ejuſdem Toletani Concilii: *Prædicta*, inquiunt, *Synodi Geſta probavimus, Nicænæ quidem, Conſtantinopolitanæ, vel Epheſinæ Fidei concordantia; Calchedonenſi vero tam eſſe unita, utpote ipſis verbis edita, vel libata: quippe ex quibus ſumpta videtur pene omnis ipſius ſtyli præcurrentis materia*. Quibus cognoſcimus *Geſta Synodalia* a Sancto Leone II. ad Hiſpanos miſſa aliud nihil fuiſſe, quam Fidei expoſitionem a Sexta Synodo Actione decima octava publicatam. Quæ quidem Fidei expoſitio ita cum Calchedonenſi Fidei profeſſione conveniret, ut totidem verbis fuerit expreſſa. Porro ſi quis Fidei profeſſionem a Concilio Calchedonenſi Actione quinta propoſitam, incipiendo a verbis illis: *Sequentes Sanctos Patres &c.* conferat cum Fidei expoſitio-

tione Sextæ Synodi, incipiendo a verbis illis: *Aſſecuti Sanctos atque probabiles Patres &c.* quibus Fidei profeſſio ab utraque Synodo propoſita continetur: is perſpiciet, iiſdem omnino verbis utramque formulam fuiſſe expreſſam; quemadmodum Hiſpani Epiſcopi animadverterunt: ac proinde ex Synodalibus geſtis Sextæ Synodi Sanctum Leonem II. ad Hiſpanos Fidei profeſſionem dumtaxat miſiſſe; eamque incipientem a verbis illis: *Aſſecuti Sanctos atque probabiles Patres &c.* in quibus vis omnis ſita eſt, quæque ipſiſſima Calchedonenſis formulæ verba eſſe videntur, & in quibus aliud nihil præter Fidei Catholicæ regulam memoratur: cui uni & ſoli Hiſpanos Epiſcopos ſubſcribere Sanctus Leo vehementer optabat.

CAPUT XXVIII.

Nemo ex Pontificibus Summis, qui Sancto Leoni II. ſucceſſerunt, judicium de Honorio ab Epiſcopis in Sexta Synodo habitum probavit, aut Honorii damnationem ſuſcepit.

I. ETSI Sanctus Leo II. Sextæ Synodi acta confirmaverit, judicium tamen, quod Epiſcopi in ea Synodo præter Apoſtolicæ Sedis auctoritatem de Honorio I. habuerunt, illum non ſuſcepiſſe oſtendimus; litteraſque, quibus contra ſignificatur, Sancto Leoni ſuppoſitas fuiſſe omnes, vel certe adulteratas demonſtravimus. Ex quo illud ſequitur, non eſſe veriſimile, Pontifices Romanos, qui Sancto Leoni II. ſucceſſerunt, quam ille Honorii damnationem non probavit, ipſos probaſſe. Neque ſane nos hac de re quicquam quæreremus, niſi Gallicanæ Declarationis Defenſor lib. 12. cap. 26. ſcripſiſſet: Omnes Pontifices condemnationem Honorii ſuſcepiſſe. Verum ſi, quod ille verbo affirmavit, verbo ipſe negavero, quo me teſte convinceret? Unum & ſolum laudat Hadrianum II. quem id feciſſe putat, præterea neminem. Atqui ſi Pontifices omnes Honorii damnationem ſuſcepere, cur unum tantum nobis profert? Sin autem alium neminem proferre poterat, cur confidenter ſcripſit, Pontifices omnes Honorii

con-

Digitized by Google

condemnationem ſuſcepiſſe ? Cum contra hoc verum ſit: neminem unum ex Pontificibus Summis Honorii damnationem probaſſe. Quod non ex eo ſolum cognoſcimus, quod veſtigium nullum exſtat hujuſce approbationis; ſed etiam quod Anaſtaſius Bibliothecarius ducentis fere poſt annis, quam Honorius in Sexta Synodo damnatus fuerat, teſtificatus eſt in epiſtola ad Johannem Diaconum Romanum, Apoſtolicam Sedem damnationem illam non probaſſe: Anaſtaſium illum dico, qui ex Eccleſiæ Romanæ ſcriniis cognoſcere poterat, num quiſquam Pontifex aliquid ſcripſiſſet, quod ad Honorii injuriam trahi poſſet. Nullus itaque ex Pontificibus Summis uſque ad Anaſtaſii ætatem Honorii damnationem probavit: quam certe neque, qui poſtmodum fuerunt, umquam probarunt; cum a tempore rei geſtæ longius diſtarent, & deceſſorum ſuorum exemplum ſibi quiſque ſequendum proponerent, & iniquitatem, quam Honorii damnatio haberet, vel ab Anaſtaſii ſcriptis diſcere poſſent.

II. De Hadriano II. videamus, quem unum eruditus ille Defenſor allegavit, qui Honorium a Sexta Synodo damnatum fuiſſe dixerit. Memorat quidem Hadrianus II. in ſuo Concilio Romano Honorii damnationem, attamen non tamquam a Sexta Synodo factam, ſed ab Orientis Epiſcopis: *Licet Honorio*, inquit Hadrianus II. *ab Orientalibus anathema dictum ſit &c.* Tantum abeſt, ut Honorii damnationem Hadrianus aut probet, aut ſuſcipiat; ut illam non a Synodo, ſed ab Epiſcopis factam fuiſſe conſulto animadvertit. Præterea addidit, id Epiſcopis facere non licuiſſe, niſi Apoſtolica Sedes hanc illis tribueret auctoritatem: *Licet Honorio*, hæc ſunt Hadriani verba, *ab Orientalibus poſt mortem anathema dictum ſit, ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi*

Digitized by Google

accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus libere reſpuendi: quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec ceterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem Primæ Sedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet auctoritas.

III. Sed quorſum, inquies, Hadrianus II. Honorii damnationis meminit? Si Gallicanæ Declarationis Defenſorem audiamus, iccirco Hadrianus id fecit, quod ab Honorii exemplo ſibi aliquid metueret. Quaſi vero incompertum ſit, qua de cauſſa Hadrianus adductus fuerit, ut rei hujus mentionem injiceret. Photius pſeudo-Epiſcopus Conſtantinopolitanus Sanctum Nicolaum I. Pontificem Summum, a quo ſcelerum ſuorum pœnas acceperat, conciliabulo coacto, falſiſque in eo criminibus Sancto Pontifici affictis, anathematizavit. Nefaria conciliabuli hujus Acta ad Hadrianum II. Sancti Nicolai I. ſucceſſorem delata, ex Concilii Romani ad rem hanc habiti ſententia, igni tradita ſunt, atque anathema in eos dictum, qui eorumdem Actorum exemplar aliquod celarent, vel apud ſe haberent. Ex quo factum eſt, ut quid Photius in Actis ſuis illis ſcripſerit, ignoremus. Sed cum Hadrianus II. in allocutione tertia ad Synodum Romanam Honorii damnationem, quaſi Photio reſponderet, memoraverit, Photius in damnando Sancto Nicolao ab Honorii damnatione exemplum quæſiiſſe videtur: *Intolerabilis eſt*, inquit Hadrianus II. *iſta præſumptio, dilectiſſimi, & hanc aures præcordiorum, fateor, ſuſtinere non poſſunt. Quis umquam veſtrum tale quid, precor, audivit, vel quis hujuſmodi temeritatis, ſaltem lectione, immenſitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus;*

de

de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus poſt mortem &c. Photii audaciam intolerandam primum Hadrianus accuſat, quod in Sanctum Nicolaum Pontificem Summum anathema dicere non dubitaverit. Deinde judicium de Honorio ab Orientis Epiſcopis habitum Photio nihil ſuffragari ſignificat: idque duabus præſertim de cauſſis: tum quia Honorius, cum illi anathema dictum fuit, jam obiiſſet, ac proinde in Honorii nomen magis, quam in perſonam anathema caderet; Sancto Nicolao vero, dum viveret, a Photio fuerat anathema dictum: tum quod Honorii accuſatio in Fidei negotio verſaretur; qua una & ſola in cauſſa cum inferiores ſuperioribus reſiſtere poſſint, venia quædam Orientis Epiſcopis danda eſſe videretur, ſi in Pontificem Summum ſententiam dicere licitum ſibi eſſe putaverint. Subdit Hadrianus tamen: neque tum vel Epiſcopis, vel Patriarchis licuiſſe judicium de Honorio habere, niſi ſi illis Apoſtolica Sedes hanc faceret poteſtatem.

IV. Itaque Hadrianus II. Honorii damnationem memoravit, non quod jam ab Honorii exemplo quicquam metueret Sedis ſuæ auctoritati; quemadmodum eruditus Defenſor ille ſcripſerat: ſed ut Photio reſponderet, ejuſque improbitatem retunderet. Damnatum quidem Honorium fuiſſe fatetur, ſed ab Orientis Epiſcopis, non a Sexta Synodo; ac proinde damnationem illam Hadrianus nec probat, nec ſuſcipit. Cum vero addit: *Quamvis nec Patriarcharum, nec ceterorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi ſententiam, niſi ejuſdem Primæ Sedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet auctoritas*: non hoc ſignificat, Apoſtolicam Sedem Epiſcopis illis hanc feciſſe poteſtatem; ita enim Honorius non jam Epi-

ſco-

Digitized by Google

ſcoporum, ſed Synodi judicio damnatus fuiſſet, atque Hadrianus ſibi non conſtaret: ſed hoc indicare voluit; quamvis de Fidei negotio ageretur, Epiſcopis illis tamen Honorium damnare non licuiſſe, niſi hanc illis Apoſtolica Sedes tribueret auctoritatem. Quid, quod verba iſthæc Hadriani II. ex græcis latina reddidit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui in litteris ad Johannem Diaconum Romanum teſtificatus fuerat, ab Apoſtolica Sede Honorii damnationem non fuiſſe probatam? Neque enim fieri poteſt, ut, quam Apoſtolica Sedes Honorii damnationem non probavit, eamdem fieri juſſerit. Igitur tantum abeſt, ut Pontifices omnes Honorii damnationem ſuſceperint, quod Gallicanæ Declarationis Defenſor commentus fuerat, ut neque Hadrianus II. quem unum ex omnibus allegavit, illam probaverit, aut ſuſceperit.

V. Verum Defenſor ille eruditus in medium profert ex Libro Diurno Romanorum Pontificum Fidei quamdam profeſſionis formulam, quam ille Pontifices Summos olim emittere conſueviſſe putat. In ea vero inter ceteros anathemate condemnatos Honorius quoque recenſetur: ex quo ille fortaſſe ſcribendi occaſionem arripuit, Pontifices omnes Honorii condemnationem ſuſcepiſſe, ſi eam Fidei profeſſionem emitterent, qua Honorio anathema dicebatur. Diurnum hunc Librum ita appellatum, quod eorum, quæ in uſu quotidiano apud Romanam Eccleſiam erant, formulas contineat, primus Romæ prodidit Lucas Holſtenius anno 1658. Deinde Johannes Garnerius alterum exemplar Diurni hujus Libri nactus, quod non multum ab Holſteniano differt, illud Pariſiis edidit anno 1680. cum quibuſdam notis. In utroque titulus hic exſtat: *Profeſſio Fidei electi Pontificis*: qua in Profeſſione hæc inter cetera habentur: *Etiam Sanctum*

Sex-

Digitized by Google

Sextum Concilium Univerſale centum ſeptuaginta quinque venerabilium Præſulum prædicamus; quod favente Deo, & votum piæ memoriæ magni Principis noſtri Domini Conſtantini clementer implente, in urbe Regia, eo præſidente, celebratum eſt: cui Apoſtolicæ recordationis Agatho Papa per Legatos ſuos & Reſponſales præfuit. Cujus venerabilem Tomum celebriter aſſequentes, eos, qui novo & hæretico dogmate immaculatam Dei Eccleſiam polluere nitebantur, cum ſuis auctoribus atque fautoribus perpetuo anathemate damnaverunt: Sergium, Pyrrhum, Paullum, & Petrum Conſtantinopolitanos una cum Honorio, qui pravis eorum adſertionibus fomentum impendit, pariterque & Theodorum Pharanitanum, & Cyrum Alexandrinum, ſimulque & peſſimum, & Deo odibilem Macarium &c.

VI. Sunt, qui putant, quæ de Honorii damnatione in hac Fidei profeſſione leguntur, inſititia eſſe; cum & Garnerius in ſua præfatione obſervaverit, iis, quæ in hoc Libro Diurno continentur, quædam fuiſſe adſcripta, quæ adulterinam manum oſtendant: *Tam pretioſis*, inquit Garnerius, *tamque utilibus venerandæ antiquitatis monumentis auſus eſt, ut quidem ſuſpicor, interpolator aliquis recentiora quædam & vilia aut inſerere, aut ſaltem addere*. Neque ſane fieri poteſt, ut Romani Pontifices ſeculo octavo, ad quod Formula illa pertinet, ejuſmodi Fidei profeſſionem emitterent, qua Honorium damnatum prædicarent; cum eam damnationem probaverint numquam; quemadmodum ante demonſtravimus. Neque Anaſtaſius Bibliothecarius ſcriberet, Apoſtolicam Sedem Honorii damnationem non probaſſe, ſi Pontifices Summi ea Profeſſionis formula, quam ille ignorare non poterat, aliquando uſi fuiſſent. Sed ego cum formulam

Digitized by Google

illam diligentius legerem, quædam in ea animadverti, quibus ab Epiſcopo, vel Patriarcha quopiam Orientali magis ad Romanum Pontificem miſſa, quam à Romano Pontifice emiſſa fuiſſe videatur. In primis enim græce ſcriptam fuiſſe, & latine redditam multis ex locis apparet: ut ex illis verbis: *Venerabilem Tomum celebriter aſſequentes*: atque ex illis: *Deo odibilem Macarium*. Deinde verba illa: *Magni Principis Noſtri Domini Conſtantini*: Epiſcopum aliquem Orientalem, non autem Romanum Pontificem loquentem præſeferunt; qui neque Conſtantinum Imperatorem ita appellaſſet, & Sanctum Agathonem, quod Romani Pontifices facere conſueverunt, deceſſorem ſuum nominaſſet.

VII. Præterquamquod jam exſtat Fidei Profeſſionis formula, quam Romani Pontifices emittere ſoliti erant ſeculo nono exeunte; cujus partem primus, quem ego ſciam, Ivo Carnotenſis Epiſcopus exhibuit in ſuo Decreto parte IV. cap. 132. & ex eo Gratianus deſcripſit in *cap.* 8. *diſt.* 16. integram vero poſtmodum retulit Cardinalis Baronius ad annum 869. Hæc vero, ſi cum illa conferatur, multo brevior eſt; atque quod ad Generalium Conciliorum commemorationem pertinet, cum in Formula illa ab Holſtenio & Garnerio edita multis memoretur, quid in ſingulis Conciliis geſtum fuerit; tempus etiam, locus, aliaque adjuncta diſtincte notentur; poſterior hæc paucis octo Generalia Concilia in Oriente habita perſtringit: *Sancta octo Univerſalia Concilia, ideſt Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Epheſinum primum, Calchedonenſe, Quintum quoque & Sextum item Conſtantinopolitana, & Septimum item Nicænum, octavum quoque item Conſtantinopolitanum uſque ad unum apicem immutilata*

ſer-

ſervare &c. Atqui non ſit veriſimile alia olim, alia deinceps formula Fidei Profeſſionis Romanos Pontifices uſos fuiſſe; ſed quam poſt Synodum octavam emitterent, etiam ante uſurpaſſe, eique Synodorum dumtaxat numerum, quemadmodum illas celebrari contingeret, addidiſſe.

CAPUT XXIX.

Quod Gallicanæ Declarationis Defenſor ſcripſit, Synodos omnes Honorii damnationem ſuſcepiſſe, falſum eſſe oſtenditur: & quemadmodum intelligenda ſint, quæ de Honorio habentur in Septima atque Octava Synodo.

I. CApite ſuperiore oſtendimus, quam ſit a veritate alienum, quod a Gallicanæ Declarationis Defenſore lib. 12. cap. 26. ſcriptum fuit, Pontifices omnes Honorii condemnationem ſuſcepiſſe; cum nemo unus illam probaverit. Nunc de Synodis videamus. Septima Synodus, idem ſcripſit, & Octava, & Synodi deinde omnes condemnationem Honorii ſuſcepere. Non diſſimulo in Actis Septimæ Synodi Honorii damnationem ſepties memorari. Primo Actione tertia in litteris a Taraſio ad Clerum Alexandrinum & Antiochenum miſſis. Secundo in eadem Actione in litteris Synodicis Theodori Jeroſolymorum Epiſcopi. Tertio Actione Sexta in relatione pſeudo-Synodi a Conſtantino Copronymo contra Imagines Sacras coactæ. Quarto eadem Actione in confutatione ejuſdem pſeudo-Synodi, quam Epiphanius Diaconus legit. Quinto Actione Septima in Termino, ſive expoſitione Fidei. Sexto eadem

Digitized by Google

dem Actione in epiſtola Synodica ad Imperatores. Septimo denique in epiſtola Synodica ad Sacerdotes & Clericos. Sed quid mirum, ſi græci, quæ in Sextæ Synodi Actis legerant, eadem tranſcriberent, & Honorii damnationem narrando dumtaxat, non probando memorarent, cum id tum in diſquiſitionem non veniret?

II. Si cui autem perſuaſum eſſet, Epiſcopos in Septima Synodo, cum Honorii damnationem memorarunt, illam ſimul probaſſe; atque illorum approbationem momenti aliquid habere: reſpondebimus, iiſdem Epiſcopis etiam Canones, qui vulgo *Apoſtolorum* dicuntur, fuiſſe probatos omnes, & Trullanos quoque; ut legimus in Canone primo Septimæ Synodi. Hæc eorum approbatio tamen efficere non potuit, ut, quam ante illi Canones non haberent auctoritatem, eam deinceps fuerint conſecuti. Quid, quod Canone octavo Epiſcopi iſti in Septima Synodo conſtituerunt, ut Judæi apoſtatæ ab Eccleſia ejicerentur, & in ſuæ ſuperſtitionis aperta profeſſione relinquerentur, neque eorum filios baptizare liceret? Hæc ſcilicet probarunt Epiſcopi illi, ſed vehementer errarunt. Ac ſi in ſanciendis Canonibus, quos tamen adhibita conſultatione ediderunt, illos falli contigerit, quanto magis in probanda Honorii damnatione, quam ad alia animo intenti dumtaxat attingebant, falli potuerunt? Septimæ Synodi Œcumenicæ definitionem, quæ de Sacrarum Imaginum cultu prodiit, quamque Hadrianus I. ſuſcepit, amplectimur, & veneramur: cetera vero, quæ in Synodo hac Nicæna Secunda aut memorata, aut probata, aut denique ſancita ſunt, eatenus ſuſcipimus, quatenus *nec rectæ Fidei, nec probis moribus, nec Sedis Romanæ Decretis ad modicum quid reſultant*: ut Anaſtaſius Bibliothecarius in hujus Synodi ſeptimæ Præfatione nos admonuit;

III. In

III. In Octava Synodo ſemel atque iterum Honorii damnatio memoratur. Primo Actione ſeptima, qua Romanæ Synodi Acta referuntur, in quibus Hadrianus II. Honorium ab Orientalibus Epiſcopis anathematizatum fuiſſe narrat: quæ Hadriani verba Capite ſuperiore nos jam expendimus. Secundo Actione decima in Termino ſeu Fidei expoſitione. Cum enim Epiſcopi hæreſes a prioribus Conciliis jam damnatas iterum damnarent, cum ad Sextam Synodum ventum eſſet: *Sanctam, dixerunt, & Univerſalem Sextam Synodum ſuſcipientes anathematizamus Theodorum, qui fuit Epiſcopus Pharan, & Sergium, & Pyrrhum, & Paullum, ac Petrum impios Præſules Conſtantinopolitanorum Eccleſiæ, atque cum eis Honorium Romæ &c.* Græci ſcilicet Epiſcopi Epiſcoporum græcorum Sextæ Synodi auctoritatem ſecuti, quos ab eis anathematizatos fuiſſe intellexerant, anathematizarunt & ipſi. Ergo, inquies, Honorii damnationem probarunt. Quid tum poſtea? Iidem probarunt etiam Canones, quos *Apoſtolorum* vulgo dicunt, ut in Canone primo Synodi hujus Octavæ legimus. Anne icciřco aut Apoſtolorum Canones illi facti ſunt, aut majorem vim illis tribuemus? Quod itaque Septima & Octava Synodus Honorii damnationem memorarunt, eamque probare viſæ ſunt, nulla tamen hac de re diſquiſitione habita, Honorii cauſſæ nihil obeſt: & hoc dumtaxat confici poteſt, Orientales Epiſcopos in Septima atque Octava Synodo, quæ in Sexta de Honorio ſcripta fuerant, tranſcripſiſſe.

IV. Quid autem ſi Synodi omnes præter Septimam atque Octavam Honorii damnationem ſuſceperint? Hoc quidem ab illo erudito Defenſore ſcriptum nollem; quod ipſe, credo, deleret, ſi viveret. Nam quid ego reſpondeam? niſi, quod ejus pace dixerim, mendacium hoc magnum

Digitized by Google

eſſe, quemadmodum & illud alterum, quod jam confutavimus, Pontifices omnes Honorii damnationem ſuſcepiſſe. Nec quiſquam putet, mendacium in eo ſitum eſſe, quod etſi complures, non omnes tamen Synodi Honorii damnationem probaverint. Nam ante Septimam Synodum in duabus pſeudo-Synodis dumtaxat Honorii damnatio memoratur; nimirum in Trullana Canone primo, & Caiphaico conventiculo a Conſtantino Copronymo coacto, cujus Acta referuntur in Actione Sexta Septimæ Synodi. At in Synodo Conſtantinopolitana habita a Sancto Germano anno ſeptingenteſimo decimo quinto, in qua Monothelitis Cyro, Sergio, Pyrrho, Paullo, & Petro anathema dictum eſt, nulla Honorii mentio facta fuit. Poſt Septimam vero & Octavam Synodum nullam quiſquam Synodum reperiet, quæ Honorii damnationem aut probaverit, aut ſuſceperit, aut memoraverit quidem: adeo falſum eſt, Synodos omnes Honorii damnationem ſuſcepiſſe. In Concilio Baſileenſi Honorium nominatum inveni in ea Oratione, quam adverſus articulum quartum Bohemorum habuit Johannes Polemarius Barcinonenſis Archidiaconus: *Honorius Papa*, inquit, *miræ pietatis fuit; cujus tunica dæmoniacus quidam indutus fuit, & liberatus eſt*: Unde ille iſthæc acceperit, non inquiro; hoc tantum animadverto: cum nulla Synodus poſt Octavam Honorii damnationis meminerit, in Baſileenſi demum, in qua Honorii mentio facta fuit, non ſine ſanctitatis elogio Honorium fuiſſe nominatum.

V. Non igitur eruditus ille Defenſor Cardinales Bellarminum, & Baronium perſtringeret; quod, cum ambo Honorii cauſſam & a Pontificibus Summis, & ab aliis Scriptoribus ſanctitate atque doctrina claris defenſam tueri vellent, Acta Sextæ Synodi, ubi Hono-

rii

rii nomen exſtat, a græcis corrupta ſuſpicati fuerint: cum græcos in adulterandis ſcripturis, atque præſertim Conciliorum Actis experientiſſimos fuiſſe, ex Sancti Gregorii Magni epiſt. 14. lib. 5. & epiſt. 83. lib. 7. jam didiciſſent; & quamvis non in Synodi Actis, ſed in Honorii litteris corruptio facta fuerit, ut jam demonſtravimus, corruptionem olfecerunt tamen: Non illos, inquam, perſtringeret; nam ſibi, qui ut Honorium opprimeret, ejus damnationem & a Pontificibus omnibus, & ab omnibus Synodis ſuſceptam fuiſſe inſigniter mentitus eſt, magnopere metuendum erat, ne omnium ipſe ſermone vapularet.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXX.

Ex Honorii I. cauſſa non hoc conſequitur, creditum fuiſſe, Romanos Pontifices, cum de Fide aliquid definiunt, errare poſſe. Argumentum, quod Gallicanæ Declarationis Defenſor invictum appellat, infirmatur; & Apologia pro Honorio concluditur.

I. HOnorii I. Pontificis Summi orthodoxiam hactenus vindicavimus, illudque perſpicuum fecimus: *In Apoſtolicæ Sedis Petra, quantum ad Fidem pertinet, nec etiam per Honorium inventum eſſe umquam ſerpentis, ideſt virulentæ ſectæ veſtigium*: ut ſcripſit Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſtola ad Johannem Diaconum. Verum quamvis Honorius apprime orthodoxus fuerit, quamvis epiſtolæ, ejus nomine in Sexta Synodo lectæ, partim ſuppoſitæ, partim vitiatæ fuerint: quamvis non Synodi judicio, ſed Epiſcoporum conſpiratione damnatus fuerit: quamvis neque quiſquam ex Pontificibus Summis, neque Synodus ulla Honorii damnationem ſuſceperit, aut probaverit: non deerunt fortaſſe tamen, qui contendant, ex Honorii cauſſa argumentum illud duci poſſe, quod Gallicanæ Declarationis Defenſor lib. 12. cap. 28. *invictum* appellavit; nimirum fuiſſe creditum, Romanum Pontificem de Fide in-

terrogatum peſſima ac merito damnanda reſpondiſſe: quo ille argumento uſus eſt ad cauſſæ, quam agebat, confirmationem. Ex hoc porro, idem inquit, illud conſequitur: a quibus creditum fuit, Romanum Pontificem damnanda reſpondiſſe, non eis fuiſſe perſuaſum, Romanum Pontificem in Fidei negotio errare non poſſe.

II. Sed a quibus, obſecro, id creditum fuit? A Romanis Pontificibus, ſubjicit ille, a Conciliis, ab omnibus denique. Saltem, qui id crediderint, Romanos Pontifices nominaret. Atqui, cum ex Pontificibus Summis nemo unus ita ſenſerit, quemnam ille appellaret? Hadrianum II? Is vero Honorium ſuper hæreſi accuſatum fuiſſe dixit, non autem peſſima ac merito damnanda reſpondiſſe. Sanctum Leonem II? Sed ejus epiſtolas vel ſuppoſitas, vel certe adulteratas fuiſſe demonſtravimus: ac ſi maxime veræ atque ſinceræ eſſent, ex iis intelligeremus, Sanctum Leonem II. non jam credidiſſe, quod Honorius peſſima ac merito damnanda reſponderit; ſed hoc dumtaxat, quod in reſtinguenda hæreſi negligens fuerit: ita enim in epiſtola ejus nomine ad Conſtantinum Imperatorem ſcriptum eſt: *Hanc Apoſtolicam Sedem maculari permiſit*: in epiſtola ad Ervigium Regem: *Immaculatam Apoſtolicæ Traditionis regulam maculari conſenſit*: & in epiſtola ad Hiſpaniæ Epiſcopos: *Flammam hæretici dogmatis incipientem non exſtinxit, ſed negligendo confovit*. Nullum ſane eruditus Defenſor inveniet ex Pontificibus Summis, a quo creditum fuerit, Honorium peſſima ac merito damnanda reſpondiſſe: facilius vero multos reperiet, qui profeſſi fuerint, Romanum Pontificem numquam adverſus Catholicam Fidem quicquam pronunciaſſe; numquam quicquam, quod non catholicum eſſet, reſpondiſſe.

III. Ex

Digitized by Google

III. Ex Conciliis autem omnibus duo tantum Defenſor idem afferre poteſt, Septimum ſcilicet atque Octavum, in quibus Honorii damnatio fuerit memorata. Quis porro dixerit ab illarum duarum Synodorum Epiſcopis creditum, iccirco Honorium damnatum fuiſſe, quod peſſima & merito damnanda reſponderit? Nam in Septima Synodo idem ille Taraſius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, qui Honorii damnationem memoraverat, cum a Legatis Apoſtolicis interrogaretur, an conſentiret litteris Hadriani I. quæ lectæ fuerant, de cultu Sacrarum Imaginum, ita reſpondit: *Paullus Apoſtolus cum Romanis ſcriberet, approbans ſtudium ſinceræ Fidei eorum, ſic ait: Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo. Hoc teſtimonium ſequi neceſſarium eſt; & inconſulte agit, qui huic conatur reſiſtere. Unde Hadrianus Præſul ſenioris Romæ ſcripſit expreſſe ac veraciter.* Deinceps vero: *Sancta Synodus dixit: Tota Sanctiſſima Synodus ita credit, ita ſapit, ita dogmatizat.* In Octava Synodo vero, in qua itidem Honorii damnationis mentio facta fuit, præterquamquod lectæ fuerunt litteræ Sancti Nicolai I. Pontificis Summi, quibus Fidei firmitas in Romanis Pontificibus commendatur, lecta fuit etiam Fidei profeſſio ab Hadriano II. miſſa, quam emittere deberent Epiſcopi Sedi Conſtantinopolitanæ ſubjecti, in qua hæc continebantur: *Non poteſt Domini Noſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus: Quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper ſervata Religio, & Sancta celebrata Doctrina.*

IV. Quomodo igitur Epiſcopi in Septima atque Octava Synodo dum Honorii damnationem memorabant, cre-

Digitized by Google

dere poterant, icciirco illum fuiſſe damnatum, quod peſſima ac merito damnanda reſponderit, quod in Fide erraverit; cum tunc profiterentur, Romanorum Pontificum doctrinam ſequi oportere, quod illi in Fide numquam errarunt, numquam errare poſſunt? Igitur neque a Conciliis creditum, quod Defenſor ille ſomniavit; ſed hoc dumtaxat: icciirco Honorio in Sexta Synodo anathema dictum fuiſſe, quod in exſtirpanda Monothelitarum hæreſi indiligens nimirum viſus fuerit. Sane poſtquam litteræ Sancti Leonis II. nomine apparuerunt, in quibus diſertiſſime atque planiſſime ſcriptum eſt, Honorium damnatum fuiſſe, quia *permiſit*, *conſenſit* hæreſim ſerpere, atque latius manare; quia illam *non exſtinxit*, *ſed negligendo confovit*: dicamus oportet, perſuaſionem hanc de Honorii damnatione ob negligentiam dumtaxat magis creviſſe; quam etiam ſibi induxerant Petrus de Marca, Stephanus Baluzius, Chriſtianus Lupus, Johannes Baptiſta Tamagninus, Franciſcus Combefiſius, Johannes Garnerius, Natalis Alexander, Antonius Pagius, & alii; a quibus creditum fuit, Honorium in reprimenda hæreſi negligentem fuiſſe; non autem peſſima ac merito damnanda reſpondiſſe.

V. At ſaltem, inquies, ab Epiſcopis illis, qui in Sexta Synodo anathema Honorio dixerunt, id creditum fuit. Epiſcopos illos mihi narras? de quorum indiligentia, ne quid gravius dicam, in tanti momenti negotio ſatis dici non poteſt. Verum cum iſti, antequam quicquam de Honorio ſuſpicarentur, Actione quarta Sextæ Synodi, Sancti Agathonis teſtificationi jam aſſenſi fuiſſent, neminem ſcilicet ex Pontificibus Summis ab orthodoxæ Fidei prædicatione umquam aberraſſe: ſi, poſtmodum, cum Honorii nomine epiſtolæ duæ lectæ fuerunt,

runt, animo ſibi finxerint, illum peſſima, ac merito damnanda reſpondiſſe; vitium id Honorio de Fide tamquam Romano Pontifici definienti tribuere non poterant. Sed cum duas illas epiſtolas, tum ab ſe tum ab aliis omnibus prorſus ignoratas, tunc primum audirent, ad Honorii privatam opinionem eas retulerunt; quas cum damnabant, ſimul tamen etiam profitebantur, quod Sanctus Agatho prædicaverat, ex Pontificibus Romanis neminem a Fidei Catholicæ vera doctrina deviaſſe: cum privatam Honorii ſententiam ad Romani Pontificis judicia ſeu definitiones nihil facere putarent. Ab Epiſcopis Sextæ Synodi diſtinctionem hanc, quæ hac noſtra ætate nonnullis valde arriſit, excogitatam oportuit; ut ne ſecum ipſi pugnarent, dum in Honorio inveniſſe ſe putabant, quod in nullo Romano Pontifice reperiri umquam poſſe cum Sancto Agathone paullo ante conclamaverant. Jam vero etſi Honorio haud parum injurium ſit, quod Sextæ Synodi Epiſcopi, litteris ejus nomine lectis decepti, privatam hominis ſententiam peſſimam ac merito damnandam duxerint: non tamen inde ſequitur, ab illis creditum fuiſſe, Pontificem Summum, cum de Fide aliquid definit, peſſima ac merito damnanda proferre poſſe. Ex Honorii itaque cauſſa hoc dumtaxat conficitur, creditum fuiſſe, Honorium propter negligentiæ culpam in Monothelitarum hæreſi reprimenda fuiſſe in Sexta Synodo ab Epiſcopis damnatum. Si qui vero fuerint, quibus Honorius hæreſis aliqua labe aſperſus viſus ſit, quales fortaſſe Sextæ Synodi Epiſcopi fuere, aliique ſane pauci poſtremis hiſce temporibus; ab iiſdem ſimul creditum, id privatæ Honorii opinioni, non Romani Pontificis judicio, aut definitioni tribuendum; ut ex Honorii

Digitized by Google

norii cauſſa ad Romani Pontificis injuriam nihil quicquam trahi poſſit.

VI. Atqui in poſterum diſtinctione illa opus non erit. Nam qui Apologiam hanc, quam pro Honorio conſcripſimus, percurrerit; is intelliget, Honorium de Fide a Sergio conſultum recte atque orthodoxe litteris ſuis illi reſpondiſſe; cum, quæ in iiſdem litteris a Catholica Fide abhorrere videntur, a Monothelitis omnia adſcripta fuerint: ipſum præterea prætermiſiſſe nihil, quominus Sergium atque Cyrum ab eorum hæretica ſententia deduceret: ac proinde in Sexta Synodo injuria Honorium fuiſſe damnatum, nulla ab Epiſcopis diligentia adhibita, qua litterarum ſuppoſitio detegeretur. Judicium vero de Honorio, in Sexta Synodo habitum, Epiſcoporum græcorum conſpirationem fuiſſe, qui Honorium utcumque damnatum vellent. Quam quidem damnationem contra Sancti Agathonis præſcriptum neque Sanctus Leo II. qui Sextam Synodum ſuſcepit, neque alius quiſquam Pontifex Summus, neque ulla Synodus umquam comprobavit.

FINIS.

Digitized by Google

215

4.4.4.81

Digitized by Google

C05665553

Digitized by Google

MC

Digitized by Google

Digitized by Google